



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Dissertationes De Actibus Humanis**

**Karchne, Simon**

**Augustæ Vindelicorum & Græcensis, 1716**

Dissertatio II. De involuntario, & hujus causis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39981**



# DISSERTATIO II.

## De involuntario, & ejus causis.

### ARTICULUS I.

#### Quid, & quotuplex sit involuntarium.

282. **I**nvoluntarium, cum opponatur voluntario, ex hujus definitione allata *num. 3.* declarandum est per rationem contrariam, unde sicut ad voluntarium requiritur, ut procedat à principio agente intrinseco, & à cognitione finis, in quem dirigitur, ita ut operatio sit involuntaria, debet utraque, aut alterutra præfata conditio deficere, nempe, ut vel adæquatè existat vi causæ, quæ sit extrinseca subjecto operationis, aut si est à principio intrinseco non procedat à cognitione finis. Quapropter quatuor modis potest actio esse involuntaria nempe violentiâ, metu, concupiscentiâ, sive passione, & ignorantia, dum sit ex violentia, coactione & metu, est à principio extrinseco, quando eam causat ignorantia, procedit quidem à principio intrinseco, imminuitur tamen ratio voluntarii.

Ex his definitio involuntarium : *quod fit à principio extrinseco contra internum appetitum, vel ab intrinseco*

*ex antecedente concupiscentia, aut ignorantia voluntatem.* Quando operatio est violenta, aut coacta, ejus causa est principium extrinsecum, intrinsecum verò, dum eam causat antecedens ignorantia.

283. Involuntarium est triplex, nempe negativè, vel privativè, aut contrariè, seu positivè tale. Involuntarium negativè, est negatio voluntarii, qualiter reperitur in omni subjecto incapaci voluntarii, hâc ratione lapidi motus est involuntarius. Involuntarium privativè est actus ex se capax voluntarietatis, carens tamen aliquo, per cujus defectum, non est voluntarius, hoc modo quod ignoranter fit, dicitur involuntarium privativè, seu contradictoriè: ad hoc igitur involuntarium sufficit, quod non sit ex consensu voluntatis, quem ista habere potest.

Involuntarium positivè, seu contrariè dicitur illud, quod est contra actum voluntatis, eumque vel præsentem, & for-

formalem (hoc modo verberato sunt involuntaria verbera conanti omnimodè illa evitare) aut contra actum interpretativum absolutum præsumptum, aut conditionatum explicatum *num. 31*. Taliter est involuntaria occisio amici ignorata, quia prudenter præsumitur amicum totis viribus conaturum eam vitare, si posset P. Joann. Marin. *de Actibus Human. D. 3. num. 1*. Involuntarium hoc tertio modo sumptum definitur dictâ definitione. Et quidem per primam partem definitionis involuntarii, definitur Involuntarium ex vi illatum, per secundam verò involuntarium, quod fit ob ignorantiam.

Unde ad involuntarium contrariè, seu positivè tale ob ignorantiam, non sufficit, quòd fiat inscienter, sed insuper opus est, ut ignorantia sit adjunctus interpretativus conditionatus renisus, id est, homo debet esse ita dispositus, ut si non ignorasset, non fuisset operatus. Hujus autem renitentia indicium habetur tunc,

quando dolor, ac tristitia sentitur ab operante propter id factum. Quòd si operans deprehendat, se id opus etiam remota ignorantia facturum fuisse, opus factum non est voluntarium, quia non præcessit ex cognitione, non etiam est involuntarium contrariè ob defectum renisus, sed est involuntarium privativè, seu non voluntarium.

Quapropter sicut ad voluntarium requiruntur duo, nempe principium intrinsecum, & cognitio, ita ad involuntarium contrariè oppositum opus est duobus principiis contrariis, videlicet ignorantia, & vi; ignorantia opponitur cognitioni, vis verò principio intrinseco.

Inter voluntarium, & involuntarium positivum datur medium negativum, possumus enim aliqua pati, ea nec volendo, nec nolendo, sed Jure passivè se habendo, ut si quis se purè passivè habens, deferatur ad aliquem locum, quo casu nec voluntariè, nec involuntariè defertur.



## ARTICULUS II.

An voluntas in suis actibus possit pati violentiam, & coactionem?

284. **V**iolentum Philosophus 3. *Eth.* 1. definit esse id cujus principium est foris, nihil prorsus eo conferente, cui vis est illa. Unde communis apud Esparz. hic *quest. 7. a. 5.* dicit. *Violentum esse, quod ab extrinseco provenit, passo non conferente vim; id est resistente passo, cui fit violentia, proinde ly nihil, aut non conferente, sumitur hic non purè negativè, sed etiam positivè. Violentum non differt à coacto, nisi quod illud ad*

ad plura se extendat, nempe etiam ad inanimata, sic gravibus fit violentia, dum moventur ab extrinseco sursum, coactum autem se extendit ad sola animata, imò propriè ad sola rationalia. Unde ad violentum requiritur, quòd sit contra appetitum, seu inclinationem innatam, coactum autem, quod sit contra appetitum, seu inclinationem elicitam; coactum enim dicitur, quia est contra actum resistentem.

Hinc colliges, cur dona supernaturalia divinitus infusa non sint nobis violenta, etsi sint à principio extrinseco nullam vim, seu inclinationem ad ea conferente animâ, quæ est illorum subjectum, quia iis positivè non obluatur.

Colliges 2. Christo, ac Martyribus non fuisse mortem simpliciter violentam, nisi secundum quid, ita S. Th. 1. 2. *quest. 6. a. 5. ad 2. Cum actio inquit infertur ab aliquo exteriori manente in eo, qui patitur voluntate patienda, non est violentum simpliciter, sed secundum quid; quia, licet ille, qui patitur, non conferat agendo, confert tamen volendo pati, & ideo non potest dici involuntarium.*

Similiter contrahere, seu infectere membra e. g. manum contra naturalem dispositionem, non simpliciter, sed secundum quid est violentum, uti explicat cit. Th. ad 3. *est violentum inquit quantum ad membrum particulare, non tamen simpliciter, quantum ad ipsum totum;* voluntas enim constituens totum sic appetit, seu inflexio est juxta inclinationem elicitam.

Pariter, quod cadens in fluvium submergatur, non fit illi violentia simpliciter.

cum non sit adæquate à principio extrinseco, sed juxta innatam inclinationem corporis gravis, est tamen submersio violenta secundum quid, quatenus non procedit à principio intrinseco appetitivo.

Possè fieri violentiam simpliciter talem tam principio passivo, quam activo probatur facilè, & quidem de activo constat in igne Babylonico, cui contra innatam inclinationem negavit DEUS combustionem trium puerorum, igitur negatio combustionis fuit igni violenta.

De passivo etiam probatur contra Vasq. 1. 2. *D. 25. cap. 3. num. 18. Granad. &c. non semper est,* inquit S. Th. 1. 2. *ad 2. Violentum, quando passivum immutatur è suo activo, sed quando hoc fit contra interiorem inclinationem passivi:* Sed fieri potest aliquid contra inclinationem principii passivi e. g. materiae primæ; hæc enim datâ ultimâ dispositione ad formam habet naturalem appetitum, seu inclinationem ad talem in specie formam, quæ potest illi denegari: hæc denegatio est illi simpliciter violenta, uti & denegatio omnis formæ, cum habeat nexum naturalem cum aliqua forma, aut collatio formæ oppositæ dispositioni. His de natura violenti præmissis.

285. Dico 1. Voluntatem posse pati violentiam, ac coactionem in actibus imperatis aliarum potentiarum virtutis exercitis, ita S. Th. 1. 2. *ad 4. probatur:* possunt potentia externa impediri, ne exequantur imperium voluntatis e. g. decrevit quis hodie esse sobrius, audire missam, ante idolum genua non incurvare, hujus imperii executio potest impediri, vi ap-

Et

rien-

riendo os, ac per os violenter apertum infundi vinum inebrians, potest domi claudi, ne die festo Sacro interfuit, possunt ante Idolum vi genua incuruari, sed per hos actus fit voluntati violentia, cum fiant contra ejus elicitam inclinationem, nec ullam vim voluntas in eos conferat. In hujusmodi actibus nulla intervenit culpa defectu voluntarii, seu consensus eliciti à voluntate; hi defectus excusat virginem vi oppressam, estque oppressio, ac copula illi violenta, etsi copula sit juxta inclinationem appetitus sensitivi, & huic non violenta, Amic. tom. 3. D. 3. num. 117.

286. Dico 2. Potest voluntati divinitus fieri violentia in actu primo proximo determinata ad speciem actus e.g. amoris, ne hunc eliciat, ita communis cum Soarez 1. 2. D. 2. Sec. 2. Contra Joan. à S. Th. 1. 2. D. 4. a. 1. & communem Thomistarum, probatur, potest DEUS in sensu composito visionis beatificæ negare concursum suum ad sui amorem, hoc casu fieri voluntati violentiam, per negationem amoris ostendo, tunc fit voluntati per negationem amoris violentia, quando negatio amoris est contra naturalem inclinationem voluntatis, sicut materiæ primæ fit violentia quando negatur illi forma, quæ illi conaturaliter est debita &c. per num. 284. Sed stante visione beatificâ, si DEUS deneget suum concursum ad amorem, negatio amoris est contra naturalem inclinationem voluntatis, quia positâ visione DEI, voluntas ex natura rei necessitatur ad amorem, ac ei est debitus concursus ad illum, ita ut citra miraculum negari non possit, sicut igni Babylónico non potest sine miraculo

negari concursus ad combustionem, & ideo tunc passus est violentiam.

Resp. Joannes à S. Th. esse disparitatem, quòd ignis in actu secundo conetur ad effectus contrarios negationi combustionis producendo calorem, & dispositionem ad comburendum, at voluntas datâ visione nullum in actu secundo ponit conatum, sed solum inclinatur in actu primo, inclinatio autem in actu primo non sufficit, ut fiat illi violentia, inclinatio enim in actu primo est indifferens, ut operetur, vel non operetur, si DEUS præstat concursum operatur, si non præstat non operatur.

Contra est, materiæ primæ ultimò dispositæ ad formam negatio formæ est violenta, estò post ultimam dispositionem nullum conatum passivum ponat in actu secundo ad formam ignis, sed solum habeat inclinationem in actu primò. Hac voluntatis inclinatio, est inclinatio in actu primo elicitive, & in actu secundo inclinative, quia actu inclinatur.

Contra est 2. Quod ignis Babylonicus, si aliquem calorem produxerit, is non fuerit ultimò disponens, aliàs eo fuissent pueri torti, sed in gradu remisso, hoc ipso autem iste conatus in actu secundo est inefficax, atqui ad violentiam non sufficit fieri contra conatum inefficacem, aliàs multa peccata, quæ comittimus essent coacta, ac violenta, quia fiunt contra displicentiam, & voluntatem inefficacem ea vitandi: & mercator sæpe projicit merces in mare contra voluntatem inefficacem eas retinendi, quoniam projectio sit violenta, sed est voluntaria.

Requiritur ergo, ut aliquid sit co-

Re

actum, quod sit contra voluntatem affectivè efficacem, ita ut non solum voluntas pugnet cum termino, quem agens ponit, sed etiam pugnet cum eo, quod illum permittat, si potest illum sine magna difficultate vitare.

Hinc, quando Prelatus peccatum suorum non potest vitare sine magno discrimine, & difficultate, dicitur cogi ad permittenda peccata, Marin. *de Actib. Hum. D. 3. num. 2.* qui *num. 24.* dicit, dum voluntas Beati impediretur ab amore, quod exigat motionem, seu concursum DEI ad amorem, & ipsum amorem: & idè denegato à DEO concursu non quiesceret naturaliter voluntas Beati, siquidem actu exigeret concursum. Illa ergo causa, quæ sunt capaces motionis DEI ad operandum, at nec exigunt motionem, nec operationem (ita se habet à respectu lucis) non sunt in statu violento, sive detur illis motio, & operatio, sive non detur. Alia causa sunt, quæ in actu primo exigunt motionem DEI, & operationem, & his fit violentia, dum negatur motio, ac operatio.

287. Dico 3. Voluntas sive circa suos actus elicitos tantum, sive etiam imperatos cogi non potest, ita S. Th. cit. *a. 4.* & communis Scholasticorum, contra Carleton *tom. 1. D. 87. S. 4.* Oviedo *1. 2. Contrav. 20. num. 36.* Marin. *de Actib. Hum. D. 3. à num. 33.* Probat, nullus actus, qui est à principio intrinseco cum cognitione finis potest esse voluntati coactus, seu violentus, sed omnis actus à voluntate elicitus etiam imperatus, est à principio intrinseco cum cognitione finis, ut per se patet, ergo

nullus actus à voluntate elicitus etiam imperatus potest esse voluntati coactus, seu violentus. Major probatur, nullus actus qui est à principio activo intrinseco cum cognitione finis potest esse à principio extrinseco cum renitentia passi; actus enim, qui est à principio intrinseco activè se movente ex cognitione finis est juxta appetitum, ac inclinationem passi, sed actus qui est juxta appetitum seu inclinationem passi, repugnat, ut sit à principio extrinseco cum renitentia passi, aliàs esset, & simul non esset cum renitentia passi, sed ad coactum, seu violentum necesse est fieri cum positiva renitentia passi, per *num. 284.*

Dices, voluntas multos actus elicit contra propriam inclinationem ut actus tristitia, metus &c. ergo hi sunt involuntarii, proinde coacti, seu violenti. Antecedens probatur, quia voluntas ab his utpotè pœnalibus, & afflictivis libenter esset expedita, seu immunis. Resp. Nego antecedens, actus enim tristitia, & metus &c. sunt causaliter voluntarii, utpote provenientes ab intrinseco voluntatis, hujusque intrinseca inclinatione, nam voluntas, dum intellectus proponit illi grave malum præsens, non vult obiectum triste, & quidem ex sua inclinatione, sed nolendo obiectum triste, necessariò vult suam tristitiam, cum tristitia aliud non sit, quàm fuga, seu nolitio obiecti tristis, ergo voluntas non habet nolitioem de actu tristitia, aliàs non haberet nolitioem obiecti tristis, sed potiùs volitionem.

Similiter metus est fuga mali præcogniti imminentis, quæ fuga est juxta naturam voluntatis, cui obiectum metus

fit contra inclinationem voluntatis. Et ideo actus similes de objecto malo subjective sunt voluntarii, objective vero sunt involuntarii, id est, objectum illorum est contra inclinationem voluntatis.

Quod S. Th. 1. 2. *quest.* 71. *a.* 2. dicat peccatum esse contra naturam sensus est, quod sit contra naturam prout inclinamem ad bonum honestum rationi

conforme, secus contra naturam prout inclinamem ad bonum delectabile materiae conforme. Voluntatis enim adaequatum objectum non est solum bonum honestum, sed quodvis bonum naturae conformum, est enim appetitus universalis inclinans ad bonum totius suppositi, tale autem non est solum honestum, sed etiam delectabile.



## ARTICULUS III.

### An concupiscentia sit causâ involuntarii?

188. **N**omine concupiscentiae venit passio vehemens residens in appetitu sensitivo seu affectus materialis appetitus sensitivi. Est duplex; strictè; ac latè sumpta: strictè talis est affectus materialis appetitus sensitivi appetens bonum delectabile sensibile absens. Latè sumpta significat omnem motum distinctum à metu appetitus sensitivi, sive appetentis bona sensibilia, uti fit per amorem, gaudium, desiderium; sive refugientis mala sensibilia; ut fit per dolorem, iram, odium, avaritiam, &c. sic ira inclinât in vindictam, avaritia in lucra, luxuria in actiones turpes &c. Nomine itaque concupiscentiae hîc non intelligitur ullus actus appetitus rationalis, seu voluntatis. Sermo est de concupiscentia lata, eaque antecedente.

Ea est duplex; una antecedens, seu preveniens actum voluntatis hancque alliciens ad similem affectum spirituales eliciendum circa idem objectum, idcirco

ordine causalitatis antecedit consensum voluntatis, ut quando viso objecto appetitus sensitivus commotus invitat voluntatem ad similem affectum spirituales. Altera est consequens, quæ in appetitu sensitivo excitatur ab arbitrio voluntatis, ut si ex libera turpium imaginatione sentias motus carnales, ista sensatio delectativa carnis ordine causalitatis, sequitur consensum voluntatis deliberatèque in appetitu sensitivo excitatur, de qua ut consequens est, certum est non causare involuntarium, quia est effectus voluntarii supponens antecedenter voluntatem ex sua libertate inclinamem.

Dixi ut consequens, quia relatè ad subsequentes actus voluntatis est passio antecedens, & tunc de ea, quâ tali idem sentiendum, quod de antecedente; semel enim excitata in appetitu sensitivo potest esse causâ, ut voluntas de novo excitetur ad operandum ferventiùs, aut novè actu.

289. Concupiscentiam vehementem appetitus sensitivi, qui illam recipit, non plenè subjici potestati liberæ hominis, uti subjicitur voluntas rationalis, experientia docet: sic plures, dum recordantur medicinæ sumptæ, aut sumendæ sentiunt nauseam, licet sentiens huic reluctetur, sciâtque non esse medicinam præsentem, quam horret: è contrà voluntas avari potest se resolvere ad alienum restituendum ex amore honestatis justitiæ, licet cupiditas divitiarum vehementissimè ad has propendat.

Quòd concupiscentia vehemens magnam vim inferat voluntati, quotidie experimur, dum sæpe vincimur consentiendo in objectum à concupiscentia propositum reluctante, seu remordente conscientia abominante graviter simplici displicentiâ idem objectum propter ejus turpitudinem. Cujus rationem dat Haunold. *lib. 2. Theolog. Scholast. controuv. 5. num. 77.* Quod appetitus sensitivus adeò tenaciter adhæreat objecto à sensu interno, seu potentia imaginativa instar magni boni repræsentato, ut, etsi voluntas jubeat abstinere appetitum ab assensu erga tale objectum, attamen dolor, & molestia ingens excitetur à malo per imaginationem repræsentato in absentia talis objecti, licet voluntas feratur in oppositum per volitionem efficacem; sic parentes inducti spe promovendi filii in bello efficaciter proponunt eum mittere, nihilominus hic illis dum valedicit, magno afficiuntur dolore (quem Lachrymæ contestantur) ob amittendam ejus præsentiam, quam sibi instar magni boni imaginariè vehementer repræsentant, è contra malum in ejus dimissione: hinc nascitur dolor in appetitu sensitivo.

Nullus affectus est magis inimicus naturæ, quàm sit dolor: hujus apprehensio est quandoque tam vehemens, ut appareat sublata libertas eligendi id, cujus electioni est annexus dolor. Hanc libertatis diminutionem agnoscit jus civile ex indicijs legitimis subjiciens reum torturæ, non condemnans illum ob passionem in tortura factam, nisi post lapsum 24. horarum passionem confirmet, tanta enim mora sufficit, ut se possit liberare à vehementi illa doloris apprehensione, ac liberè retractare passionem, si fortè à doloris vehementia victus fictè crimen confessus est.

290. Ex recepta sententia magnum est discrimen inter ea, quæ fiunt ex metu, & quæ fiunt ex concupiscentia, dum sermo est, an fiant voluntariè. Primò operanti ex metu violento est disconveniens secundùm se consideratum id, quod agit ex metu, ut patet in projectione mercium, quæ de se est mala, & idè in sensu composito metus voluntas illi resistit per simplicem, ac inefficacem displicentiam de projectione, quia tamen hic & nunc apprehenditur ut minus malum aptum, seu utile ad evadendum majus malum, nempe naufragium, idè præeligitur efficaciter projectio remanente simplici de eadem displicentiâ. Secunda disparitas desumitur ex objecto utriusque; objectum enim concupiscentiæ est delectabile bonum, quod secundùm se est consentaneum voluntati, objectum verò timoris est malum naturâ suâ dissentaneum voluntati. Et hinc est disparitas tertia, quam dat Esparza, quòd, quæ fiunt ex metu, fiant ex assensu causante dolorem, uti patet in projectione mercium,

E e 3

cium,



cium, & ideo operari ex metu est molestum: quæ autem fiunt ex concupiscentia, non fiunt ex affectu causante dolorem, consequenter nec fiunt cum molestia.

291. Controversia circa questionem Articuli unica est, an concupiscentia sit causa secundum quid involuntarij positivi, nam quod sæpe causet involuntarium negativum, seu potius privativum, est certum, hoc enim est non voluntarium, seu privatio voluntarij, sed tale sæpe causat concupiscentia, nam voluntarium præcedit ab intrinseco cum cognitione, hanc sæpe perturbat concupiscentia impediendo cognitionem circumstantiarum, periculorum, & actionis effectus.

Prima sententia simpliciter negat cum Vasq. 1.2. D. 28. c. 4. num. 17. Secunda affirmat cum Arriag. hic D. 11. Tertia Soarez hic D. 3. S. 4. negat causare per se, seu regulariter, secus per accidens.

Resp. Postremam esse præferendam cæteris duabus. Prima pars est aperte S. Th. 1.2. q. 6. a. 7. ad 1. ibi: *quod per metum agitur, quodammodo est involuntarium, sed quod per concupiscentiam agitur nullo modo.* Ratio autem constat ex differentia objectorum metus, & concupiscentiæ allata n. 290. voluntas enim operans ex concupiscentia, suaviter, ac delectabiliter tendit in objectum, operans verò ex metu tendit in objectum secundum se molestum, sed quod delectabiliter fit à voluntate, & hæc tendit in objectum placens per se, & regulariter non est secundum quid positivè involuntarium, est verò tale dum volun-

tas tendit in objectum voluntati molestum.

Pars secunda probatur; sæpe concupiscentia impellens ad operandum suaviter, conjungitur cum divina inspiratione, & illustratione proponente malum culpæ cum remorsu conscientiæ, ac metu mali temporalis eventuri, sed sic causat involuntarium secundum quid, hoc autem se per accidens habet respectu concupiscentiæ.

Hinc constat non obstare concupiscentiæ, quod aliquando impellat executionem mediorum difficilium v. g. ad ad eundem vitæ periculum, ut re concupitâ potiat, sic mercator amore divitiarum suscipit navigationem &c. hoc enim non probat, quod concupiscentia per se, ac directè impellat, quia ex concupiscentia præcisè, ac directè sequitur delectatio, dolor verò provenit aliunde, nimirum ab admixto metu, quo timetur periculum in exequendis mediis necessariis ad finem concupiscentiæ obtinendum, sic in allato exemplo concupiscentia divitiarum pro medio utili eligit navigationem periculosa, hæc enim ut est medium utile directè concupiscitur, sed quia ei est annexum periculum, hoc timetur per adjunctum metum inefficaciter sibi displicentem in navigatione ut periculosa.

292. Ex resoluta controversia sequitur concupiscentiam antecedentem augere voluntarium, regulariter verò imminuere liberum contra Vasq. cap. 2. c. 6. Ratio primi, quia bonum, in quod tendit, vel malum, quod fugit passio, facit ut magis, seu intensius ab intellectu objectum sub ratione boni ex una parte, & minus sub ratione mali ex altera

cognoscatur; aut è contra, dum passio fugit, facit, ut intensius penetratur sub ratione mali, & minus sub ratione boni, sed ad cognitionem magis intrinsecam sequitur intensior actus voluntatis, ergo est voluntarium intensius, quod ex concupiscentia antecedente fit.

Ratio secundi, quia actus dicitur liber ab indifferentia voluntatis ad extrema contrariè, aut contradictoriè opposita, sed quo actus est magis voluntarius, eò regulariter est minor indifferentia ad extremum magis voluntarium, ergo quò actus est magis voluntarius, eò regulariter est minus liber. Minor probatur; quia tunc magis voluntas propendet ad extremum magis voluntarium, quàm ad extremum oppositum, ergo non est æqualis ad utrumque differentia, sed immutata.

Dixi *regulariter*, quia concupiscentia quandoque auget libertatem, nimirum tunc, quando intellectus proponit adeò clarè voluntati bonum honestum, bonum verò oppositum delectabile adeò tenuiter, ut vix sufficiat ad inclinandam voluntatem; hoc casu est modica libertas ad amorem honestatis, sed est ferè necessitas; si superveniat concupiscentia boni delectabilis oppositi, voluntas evadit indifferens, consequenter etiam magis libera ad amorem honestatis.

Et hinc provenit, quòd, dum passionibus sunt sedatæ, experiamur nos levissimè allici à quibusdam objectis, ut dum concitatur passio erga eadem instigans, sentiamus vehementer nos trahi ab iisdem objectis, sitque tunc major libertas erga hæc, minor verò necessitas ad amorem boni oppositi.

293. Dices concupiscentia minuit liberum, ergo etiam voluntarium. Consequentia probatur; Primò, quia consequentia minuit cognitionem hanc obscurando, & corrumpendo prudentiæ æstimationem, ut 6. Eth. 5. dicitur. Secundò, liberum est species voluntarii, quod est genus, minutà autem specie, necesse est minui genus formaliter contentum in specie. Tertio, passio est extrinseca voluntati, & intrinseca appetitui sensitivo, ergo voluntas mota à passione movetur ab extrinseco, quod est esse involuntarium secundum quid. Quarto à paritate metus violenti, minuente voluntarium. Hæc pro sententia Vasquez.

Resp. ad 1. nego consequentiam: Ad probationem distingo, concupiscentia minuit cognitionem objecti directè concupiti nego, minuit cognitionem oppositi, à quo declinat concupiscentia concedo. Dum passio concupiscentiæ in partem sui objecti trahit, intellectum occupat in illius apprehensione propter nexum, quem habet intellectus cum imaginativa, quæ tunc vehementer adhæret illi bono sensibili: quo fit, ut æqua æstimatio prudentiæ non sit, cuius est bonum à malo discernere, quod difficulter potest fieri trahente ad unam partem passione.

Ad 2. Negatur antecedens in sententia concedente, quòd actus voluntatis physicè invariatus potest transire de libero in necessarium, vel è contra, in hac enim sententia liberum non est species voluntarii, quia non est de substantia actus libertas, sed habet se ut forma accidentalis respectu voluntarii tanquam subjecti, minuto autem accidente, non debet minui subjectum, Deinde etiam concessio,

cesso, esse speciem, prout est in opinione volentium libertatem esse essentialera actibus liberis, negatur tamen diminutâ specie libertatis diminui genus sive voluntarium, nam dum minuitur libertas, augetur necessitas, quæ est altera species voluntarii in hac sententia, atqui ratio generica non minuitur, quando alterius species augetur. Ratio hujus est, quod libertas defumatur penes indifferentiam ad partem utramque, voluntarium verò ab inclinatione in unum, sed decrescente indifferentiâ æquali ad utramque partem crescit inclinatio in unum, ergo decrescente libertate, quæ est rarò specifica, crescit voluntarium, quod est rarò generica.

Ad 3. Negant antecedens, quotquot potentias animæ non distinguunt ab anima contra Thomistas, quia tunc omnis actus vitalis etiam materialis sustentatur partialiter ab anima, & voluntate, ergo est intrinseca voluntati. Deinde datâ etiam distinctione potentiarum, adhuc in multorum opinione actus etiam vitales materiales non solum efficiuntur, sed etiam sustentantur partialiter ab anima, quam opinionem secutus sum in anatomica.

Tertiò transeat, esse passionem adæquatè extrinsecam voluntati, nego voluntatem à passione motam moveri ab extrinseco, sed ab intrinseco meliore principio, cujus occasio est ipsa passio e. g.

concupiscentia, hæc inherens appetitui sensitivo per sympathiam movet ad vivaciùs per imaginationem representandum objectum, hæc vivacior imaginatio excitat intellectum ad clariùs proponendum objectum voluntati, hæc clarior representatio est principium intrinsecum voluntarii. Principium ergò extrinsecum movens, dum est occasio melioris principii intrinsecè moventis, non minuit voluntarium.

Ad quartum, triplex data est disparitas *num. 290.*

Contra id, quod concupiscentia minuat liberum, opponi potest, inde sequi etiam minui rationem meriti: hoc autem est durum in actibus saltem heroicæ virtutis, ut in Martyrio conjuncto cum maximo dolore: similiter is, qui vincit concupiscentiam vehementem carnalem: cum sit minùs liber in actu victorioso, sit etiam minùs merens. Resp. cum Har-nold. negando sequelam in casu, quo cum imminuta libertate actus crescit difficultas illum eliciendi, in Martyrio autem, & victoriâ contra concupiscentiam carnis crescit difficultas eliciendi actum ad martyrium, & electivum castitatis. Quando concupiscentia etiam minuit difficultatem actus, qui elicitur ex illa, tunc concedo minui etiam vim meritoriam ex capite libertatis minutæ.

\*\*





## ARTICULUS. IV.

## Corollaria practica ex doctrina precedentis Articuli.

294. Corollar. 1. Generalem continens Regulam, ex qua plurimi conscientiae casus decidi possunt: nullus consensus blanditiis, & suasionibus, precibusve extortus, invalidat contractum, nec tenetur restituere vi contractus accepta is, qui blanditiis extorsit eum (si forte ex eo consentiens aliquod damnum est passus) modo fraus, & dolus absint, aut nisi blanditiae sint à persona, quae si contemnatur, periculum est, ne blanditias convertat in odium, & gravem injuriam, quia tunc blanditiae gerunt vices metus, inquit Marin de Actib. Hum. D. 4. n. 19.

Ratio primae partis Regulae est, quod blanditiae &c. non minuant sed augeant voluntarium, nec tollant libertatem ad oppositum; nec laedant jus ullum consentientis, & ideo est nulla obligatio restituendi acquisita blanditiis. Econtrà dum fraus, & dolus intervenit, injuria inferitur, & ideo est obligatio restituendi, fraude, aut dolo, secus blanditiis acquisita, nisi, uti in fine regulae dicitur, blanditiae gerant vices metus, hic enim injustus semper saltem gravis laedit jus alterius, & ideo omnis contractus ex gravi injusto metu initus, est aut irritus, aut irritabilis, Amic. de Actib. Hum. D. 1. num. 151:

R. P. Karch. Diff.

295. Corollar. 2.<sup>1</sup> Concupiscentiam late sumptam per num. 288. minuire peccatum, quia minuit libertatem, imò si praevertat omnem usum rationis, uti non raro contingit in agitato vehementer irâ nullum est peccatum, uti fit in motibus primò primis; hi si sunt sensuales, id est actus appetitus sensitivi, antecedunt omnem usum rationis, & consensum voluntatis; si autem sunt rationales, id est, procedentes à voluntate, eliciuntur ab hac directa per advertentiam rationis aliquam & insufficientem ad peccatum, ut si non advertatur ullatenus ad malitiam Valq. 1. 2, D 360. num. 23. & D. 39, num. 19.

Limita Corollar. Nempe id intelligendum de concupiscentia non libera, si enim in se libera sit, uti est consequens per num. 288. tunc peccatum ex ea consequens, etsi non sit tam liberum, & imputabile, quàm si abesset concupiscentia, est tamen imputabile in se, & in causa, & sic erit æquè malum, ac si non oriretur ex concupiscentia. Imò potest esse gravius, ita Herinx hic D. 1. num. 25. nam sponte excitata licet physicè minuat libertatem propriam actus inde subsequens, respectu cuius est antecedens, non tamen minuit malitiam, talis enim non censetur ex passione, sed

Ff

po-

potius ex malitia peccare, liberè enim excitata indicat magnam peccandi libidinem, adeoque intentè fertur in passionem, ac hinc sequentem actum in ea pravifum, secùs si passio sequens unum actum non sit pravifa.

Corollar. 3. Facilius relaxari jura-  
menta, vel vota facta tempore prædomi-  
nantis passionis propter defectum perfe-  
ctæ libertatis, Sanch. *lib. 4. Decal. cap.*  
*45. num. 27.*

Corollar. 4. Testamentum in fa-  
vorem uxoris factum à marito blanditiis  
uxoris allecto valere tradit Sanch. ex com-  
muni Juristarum, & Theolog. *lib. 4. de*  
*Matr. D. 11. num. 2.* contra Cajeta-  
num *2. 2 q. 32. a. 7. in fin.* & in sum-  
ma *Verb. Restitutio post. cap. 8.*

Corollar. 5. Meretrices ultra sti-  
pendium debitum blanditiis extorquen-  
tes, etsi fraude dicant, se perditè amare  
complicem, deobligari restituere, quia  
fraus hæc nullum later; secùs, si fraus  
non pateat, ut si fingat se à nullo cog-  
nitam, aut non nisi semel à magnate, ita  
cit. Sanch. approbatus à Pal. *10. 1. tr. 2.*  
*D. 1. p. 5. num. 4.* Verùm existimo  
hanc etiam esse communem fraudem cum  
cit. Marin in fin.

297. Corollar. 6. Contractus ini-  
ros spe consequendi aliquod bonum esse  
firmos, aut etiam Professionem Religio-  
sam spe consequendi prælaturam; ac ma-  
trimonium cum Maria contractum ab eo,  
cui est promissa institutio hæredis, si eam  
duxerit, spes enim non minuit, sed au-  
get voluntarium de matrimonio etiam tali  
est specialis Ratio, quod id contrahens  
non impellatur pœnâ amittendi lucrum,

ad quod habeat jus, quale omnino foret  
nullum, sed spe præmii indebiti, est e-  
nim conditio non cogens, sed alliciens.  
Pars prima Corollarii est Navarr. *tom. 2.*  
*de Regularib. num. 67.* totum verò est  
cit. Pal. *num. 3.* de Matrimonio Sanch.  
*lib. 1. de Matr. D. 33. num. 6. & 7.*

Corollar. 7. Consuetudinem pec-  
candi augere voluntarium, & minuere  
liberum. Ratio quia consuetudo pec-  
candi est habitus comparatus ex frequen-  
tatis actibus concupiscentiæ, sed hæc au-  
get voluntarium, & minuit liberum,  
ergo etiam consuetudo minuit liberta-  
tem, nempe in quantum minuit indiffe-  
rentiam inclinando voluntatem magis in  
unam partem, non tamen minuit mora-  
liter, seu in ordine ad imputabilitatem,  
quia tunc sicut consuetudo est libera, &  
imputabilis, ita effectus ad eam secuti  
sunt imputabiles & liberi libertate causa,  
seu radices, ut dictum est *num. 295.* in  
Limitatione tradita etiam à cit. Marin.  
*num. 19.* in princip. Raynaud. *in Di-*  
*scipl. Mor. de concupiscentia.* Si ta-  
men consuetudo inquit Rayn. seu habi-  
tus retractus sit, & factus involuntarius  
per contrarium actum efficacem, & fir-  
mum propositum faciendi actus opposi-  
tos consuetudini, Deinceps consuetudo  
nondum eradicata non tantum minuit ac-  
tuam libertatem, sed etiam culpam, quia  
consuetudo est quasi versa in naturam,  
& videtur esse quodam modo extra pote-  
statem hominis non potentis eam tam citè  
vincere, ita Soarez *1. 2. D. 3.*

*S. 4. num. 16.*

\* \*  
\* \*

ARTI-

## ARTICULUS V.

## Qualiter sint involuntarii actus procedentes ex metu?

298. **P**Ræter voluntarium, & involuntarium purum datur medium, seu mixtū ex voluntario, & involuntario id est, aliquid de utroque participans. Ejusmodi mixtum procedit ex causa triplici, nimirum ex concupiscen-

tia, ex metu, & ignorantia. De involuntario mixto ex concupiscentia actum est *Art. 3. & 4.* de involuntario ex metu nunc inquirimus, postea de voluntario ex ignorantia.

\* \*



## §. I.

*Quid, & quotuplex sit metus.*

**A**Ristoteles 2. *Rhetor.* 5. definit metum, quod sit molestia quadam, & perturbatio ex Phantasia futuri mali. Melius S. Th. 1. 2. q. 41. a. 2. Est passio animi circa metum difficilis, cui resisti non potest. Ulpian. L. 1 ff. de eo, quod metus causa: est instantis periculi vel futuri causa mentis repudatio. Theologi communiter definitionem S. Th. sic efferunt: metus est fuga mali imminentis difficulter evitabilis. De fuga observat Rayn. in *Discipl. Mor.* fugam esse passionem desiderio oppositam, quæ ab aliis dicitur abominatio, & interdum confundi cum metu propter affinitatem objecti, & mo-

dum tendendi, utraque enim passio tendit in malum absens, cum hoc tamen discrimine, quod timor respiciat illud, ut ad evitandum difficile, à qua evitationis arduitate præcindit fuga (& ideo spectat ad appetitum concupiscibilem, metus vero ad irascibilem) hæc enim est actus averfativus mali imminentis ad vitandum non difficilis: quod si malum jam præterit, fuga illius dicitur detestatio, his verbis concepta, nollem fuisse peccatum; qui actus est ex parte subjecti absolutus seu actu existens, conditionatus vero ex parte objecti; sic enim illum in *tract. de Pœnit.* exposui, si in me esset possibilis potentia nunc faciendi id, quod

Ff 2

quod peccatum non fuisset, quod absolute poterat non esse vellem non peccasse; ubi vides hunc actum pro objecto ac parte conditionati habere peccatum non fuisse quale objectum est simpliciter, & absolute possibile. Est partim inefficax, partim efficax sub respectu diverso; est inefficax in quantum nequit efficere peccatum non fuisse: est etiam efficax primo, quoad affectum, in quantum actualem affectum ad peccatum excludit, & insuper prior affectus ad peccatum ita destruitur, ut jam homo non censeatur habitualiter perseverare in peccato. Secundo, quoad effectum, quia ex DEI acceptance habet vires ad delendum peccatum perinde, ac si peccatum nunquam fuisset, cum actus hic sit unus ex essentialiter requisitis ad Sacramentum Pœnitentiæ, neque passim occurrat in libris ejus explicatio, occasione actus fugæ volui illum hic obiter adscribere non infructuose, cum multi ignorent, in quosita sit detestatio peccati commissi.

299. Metus dividitur in gravem, & levem. Gravis est, quando malum imminens ita percellit hominem, ut pensata conditione personæ, et si aliâ hæc constans, & fortis sit, non facile sit excutiendum. Et ideo dicitur cadere in virum constantem, & fortem (quando Jurisconsultus apud Sanch. *Lib. 4. D. 1. num. 9.* loquens de metu ait eum cadere in virum constantissimum, superlativum sumitur pro positivo) quia non officit constantiæ, & fortitudini, eo quod ex illo operans eligendo malum minus ad evitandum majus nihil laudis amittat: quapropter dici etiam consuevit justus,

& probabilis, quia leges sic operantem justè, ac probabiliter excusant.

Metus levis est, quando malum imminens est leve, seu tale, quod hominem prudenter aestimantem, & fortem non concutit id est, non dimovet de proposito. Et ideo dicitur non cadere in virum constantem, vocatur etiam vanus, quia cadit in hominem vanè, ac imprudenter timentem malum leve; item injustus, & improbabilis, quia jura illum improbant, nec excusant ex illo operantem, sed censent inconstantem, seu non fortem.

Uterque potest incuti à principio, vel intrinseco, vel extrinseco. Incussus ab intrinseco est, quem incutit independentè ab actu libero per modum naturæ causa naturalis necessitaria, sive hæc sit nobis intrinseca, ut morbus, sive extrinseca, ut pestis, naufragium, tempestas, ferum animal. Incussus ab extrinseco est, quem incutit causa extrinseca libera. e.g. hostis justè, aut injustè, si malum, quod minatur, potest justè inferri, dicitur timor justus, seu justè incussus, ut si furi deprehenso in furto miner accusationem delicti, si verò malum nequit justè infligi, dicitur injustus, sive iniquè incussus, ut quando Latro minatur mortem, nisi dem pecunias.

Quando persona incutiens, sive minans malum est superior, ut Dominus respectu servi, Prælati respectu subditi, Maritus respectu uxoris, parens respectu filii, tutor respectu pupilli, dicitur reverentialis ex eo, quod incutiatur ab iis, quos revereri debemus.

Ubi notandum ex Wadingo Reverentiam dupliciter sumi; Primo, pro

hona-

honore, id est, pro actuali honoris exhibitione. Secundò pro virtute inclinante ad honorem superioribus, ut Dominis, parentibus, marito &c. exhibendum, quapropter agere ex reverentia non est agere perinde, ac agere ex metu reverentiali, ut quando superior mandat sine omni incusso metu, sapissimè tamen incutitur, quia subditus trepidat ex ap-

prehensione mali, quot fortè putat se incursum e.g. indignationem, nisi mandatum exequatur: Nomine ergo metus reverentialis non venit verecundia, & pudor, qui inest prolibus respectu parentum, uxori respectu mariti, &c. Pal.

p. 1. tract. 2. D. 1. p. 7. num. 5.  
uti constabit ex. n. 304.

\* \*  
\*



§. II.

Quas Conditiones exigat metus, ut censeatur gravis.

300. DE his fusè disputat proximè nominatus Pal. p. 7. statim in principio ex communi DD. tres requirens conditiones, Prima, est ut malum, quod timetur, si grave. Secunda, ut incutiens sit potens, & præsumentur probabiliter executurus. Tertia, ut metum patiens nequeat facilè declinare malum imploratione auxilii aut consilii, quia si facilè potest vitari, non est justus metus, sed vanus Sanch. Citandus D. 1. num. 23. De quibus etiam egi in tract. Canonist. à num. 161. ad 167. Ibique adjeci quartam, nempe ut metum patiens prudenter credat malum sibi imminere, nam conceptus ex levibus indiciis vanus est, ac imprudens, ita Sanch. Lib. 4. de Matr. D. 1. nu. 15. Verùm hæc involvitur in secunda.

Circa primam binæ sunt precipuæ difficultates, prior, quodnam malum censendum sit grave; posterior, an me-

tus reverentialis sit gravis. Demùm, an malum illud imminens conjunctis tibi sufficiat.

Resp. igitur L. Quodnam malum judicandum sit grave, & an illud in se, proinde absolutè debeat esse grave, vel respectivè. Illud imminens malum est absolutè tale, quod plerique reputant pro gravi, seu valde molesto, ut mors, mutilatio verberatio gravis, diuturna incarcerationio, stuprum violentum etiam viduæ honestæ, Sanch. D. 5. num. 12. infamia juris, & facti Sanch. num. 14. & 15. amissio nobilitatis, aut majoris, vel notabilis partis honorum, aut officii acquisiti &c. Ratio quod hæc ac similia singula meritò possint timeri etiam à viro constante, ita cum innumeris tradit Sanch. Lib. 4. de Matr. D. 5. ex Legibus.

An metus Excommunicationis cadat in virum constantem, est sub lite.

F f ;

Plu-



Plures affirmant, alii negant. Distinguit rectius Pal. *num.* 4. adhaerens negantibus de Excommunicatione iusta, de iniusta affirmantibus. Ratio primi, quod sibi debeat imputare, quod excommunicetur, secus minanti Excommunicationem, quam facile poterat declinare non delinquendo. Ratio secundi, quia iniusta, quamvis non liget coram DEO, ligat tamen in foro externo, in quo pro excommunicato, se gerere debet, *c. nobis de Sent. Excomm.* hoc autem est malum grave Sanch. *num.* 16.

301. Resp. nunc I. Ad Quæsitum, illud reputandum pro gravi malo, quod plerique existimant esse tale, quod aptum est percellere virum constantem; Ejusmodi mala sunt recensita, ac alia illis similia.

Majus dubium est de Secunda parte Quæstionis, an Gravitas debeat esse absoluta, seu pensanda ex ipso malo in se præcisè, aut per ordinem ad personas patientes metum mali, aliqui enim nullum malorum genus horrent: alii sunt è Contra valdè timidi; multa enim pueris, mulieribus, virisque valde meticulosis, aut præditis meticulosâ imaginatione gravia accidunt, quæ cordati contemnunt, Gobat *tract.* 9. *num.* 747. negatque ibi talem metum cadere in virum constantem, aliàs accidere posset, quod malum leve, facileque vitatu hominem timidum graviter percelleret, ita ut mallet contractum inire, quàm malum pati, contra decisionem *L. metum la. 2. ff. de eo quod metus causa: Metum inquit, non vani hominis, sed qui merito, & in hominem constantissimum cadat ad*

*hoc edictum pertinere dicimus, &c.* Ergò metus gravitas non est desumenda ex imaginatione patientis, sed ex ipsâ rei gravitate, ita Sanch. *D. 1. num.* 12.

Pal. *cit. p. 7. n. 11.* Beneficio distinctionis sic resolvit: si sermo est de metu sufficiente ad reddendum contractum involuntarium, concedit etiam leve malum in eo, qui id apprehendit, ut malum grave, reddere involuntarium; si autem loquamur de metu annullante contractum dicit, quod neutrum jus patitur rescissionem contractus, nisi sit metus de re in se gravi, seu potente movere virum constantem Sanch. *n. 12.*

302. Resp. gravitatè mali, ut hoc percellat duos eidem virtutis constantiâ præditos, sed inæquales propter constitutionem, seu complexionem naturalem (sic fœmina suâ præ naturâ est imbecillior viro, atas tenerior maturâ, senex ætate florente, item est etiam pensandus affectus, hoc est, animus, cui metus infertur, major enim metus exigitur in milite, quàm in pusillanimitate, & vili per *L. 3. ff. ex quibus causis majoris*, ibi: *metus à causa abesse videtur, qui iusto timore mortis, vel cruciatûs Corporis conterritus, & hoc ex affectu ejus intelligitur*, id est, ex animo, Sanch. *Lib. 4. de marr. D. 4. n. 4.* esse respectivè pensandam, videlicet ex qualitate partim mali, partim qualitate personæ, ita ut seclusâ corruptione phantasiæ, ac vanitate apprehensionis metum patientis prudenter judicetur grave respectu e. g. fœminæ, etsi idem malum relatè ad virum non habeatur pro gravi seu cadere in virum

virum constantem, esto cadat in feminam constantem, atque aded minus malum comminatum feminæ facilius hanc, etsi constantem terret, quam virum constantem, Sanch. à num. 2. cum innumeris, probatur ex C. *indignantur* 32. q. 6. ibi: *cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere feminas, & C. sicut de Homicidio, in principio; ibi, nosti, quod in excessibus non solum quantitas delicti, sed Ætas, sexus delinquentium sint attendenda.*

Non obstat C. *consultationi* 28. de Sponsal. in quo de Mulieribus ante consummatum matrimonium, aufugientibus à maritis, ac asserentibus se nunquam consensisse, sed metu illato compullas ad matrimonium decidunt, illis non denegandam esse audientiam, sed de illato metu esse cum diligentia inquirendum, & si talis metus inveniatur illatus, qui cadere potuit in constantem virum, erunt non immeritò audiendæ. Non, inquam, obstat, quia verba illa in constantem virum sumenda sunt pro eo metu, qui non levis, & vanus sit, Sanch. n. 3. concludens sic: quare pensandum est ad annullandum matrimonium, aut alios contractus à femina celebratos, quod femina constans tunc metueret, pensatâ naturali feminarum constantiâ, quibus à natura inest minor animi vigor, corporisque fortitudo.

303. Adhuc circa grave malû, dubitatur primò, an, ut tale sit, requiratur, ut

metum incutiens solitus sit minas exequi; Respondet Sanch. num. 20. & seqq. affirmativè, & quidem in eodem genere mali, à malo enim dissimili non desumitur conjectura, nisi sit solitus exequi minas in atroci, nec sufficit in eodem genere mali tractasse malè vice unâ, sed pluribus, quia unicus actus non facit consuetudinem.

Resp. Cum Pal. num. 9. non sufficere minas, dum constat ex præteritis, minas non progredi ad executionem, sufficere verò minari eum, de quo non constat vanè minas jactare. Ratio, quia verba sunt signa intentionis C. *humana aures* 22. q. 5. & licet delictum factum non sit præsumendum, nisi probetur L. *merito ff. pro socio*, & efficiendum potest præsumi, si ipsemet reus efficiendum proponat. Hinc in dubio, an aliquis sit atrox, & minas executioni daturus, est justus metus Sanch. D. 6. num. 22.

Dubitatur 2. an metus viri constantis esse possit in eo, qui movetur ad eligendum gravius malum e. g. peccatum mortale an vitandum minus e. g. infamiam, mortem &c. Negat communior apud Sanch. D. 2. num. 1. Affirmat idem num. 5. Pont. lib. 4. de matr. c. 3. num. 2. Pal. p. 6. num. 3. quia jura in ordine ad contractus considerant metum non comparatione electionis, sed comparatione objecti, proinde, si hoc de se sufficit ad percellendum virum fortem, etsi eligat gravius, eò quòd vitare intendit, operatur tanquam vir constans, saltem legaliter, nec virtutem constantiæ violat, esto violet aliam virtutem, seu inconstans sit secundum mores, leges

leges enim utriusque juris rescindentes contractum ex metu, attendunt solum an voluntas graviter lædatur, quin attendant an constanter, vel inconstanter secundum mores.

304. Resp. 2. An metus reverentialis cadat in virum constantem, seu quod perinde est, an sit gravis? Quatuor refert sententias Pal. *num. 5.* quorum duæ extremæ; una negans, si reverentia superiori debita consideretur sine minis, aut alterius gravis mali metu, ita Sanch. *D. 6. num. 7.* Altera simpliciter affirmans, indeque deducens sufficere ad annullandum matrimonium, ad reliquos verò contractus rescindendos: Plures pro ea refert Sanch. *num. 4.* fundamentum præcipuum sunt textus juris: ut *Regula velle 4. de R. J. Ibi, velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris vel Domini*, ergo imperium Patris, aut Domini sine minis tollit; consensum liberum ad valorem contractus necessarium.

Pal. *num. 6.* distinguit admittens negativam de metu reverentiali sumpto præcisè pro pudore, & verecundia, quam subditus, si non obsequitur imperio, metuit pati, quia verecundia præcisè est malum transiens, insufficientis, ut constantiam frangat; affirmativam verò, si verecundia conjuncta sit superioris e. g. parentis, mariti &c. asperitas vultus, rigida tractatio, indignatio, aut exprobratio duratura, rixæ, minæ &c. Ratio, quia metus reverentialis sic sumptus meritò cadit in virum constantem.

Resp. ad Questionem 2. affirmativè, de reverentiali metu trahente secum

aliquod ex præfatis malis, secus de eo nudè accepto, de hoc intelligendus est Sanch. *cit. num. 7.* uti manifestum est ex *D. 9. num. 12.* nam de reverentiali, quem comitantur mala præfata, cadere in virum constantem, matrimoniumque irritare expressè fatetur *num. 14.* Quare non discrepat ab opinione Pal. Distinguit enim nobiscum duplicem reverentialem metum; unum metum pudoris sine aliquo incommodo gravi ex ennumeratis, de primo negat sufficere, de secundo affirmat. Unde immeritò virum facile summis Theologis moralibus adnumerandum arguit inconsequentia Pont. *Lib. 4. de matr. c. 5. num. 7.* sed potius ipse argui potest, quod non advertit ad duplicem metus reverentialis acceptionem.

305. Difficultas est, an preces importunæ, id est, vehementes sæpiùs repetita ab iis, quibus est debita reverentia, cadant in virum constantem. Affirmativa subscripsi *in rr. Canonist. n. 161.* cum Sanch. *D. 7. num. 7. & 8.* quia importunitas precum personæ, cui reverentia debetur sæpè iteratarum nequit facillè excuti, & de his explicat sententiam *num. 4.* ab ipso allegatam, solvitque ejus argumenta *num. 9.* Minimè autem preces personæ non superioris sæpè repetita, etsi sint aliquid molestæ atque violentæ, utpote contrariæ appetitui elicitò ejus, cui displicent, causant metum gravem, aliàs puella non semel importunè sollicitata tandem consentiens, pateretur metum gravem, uti & Princeps annuens subditorum precibus repetitis, quod est absurdum. Unde Samson re-  
velans

velans Dalila per dies complures ei quietem non finenti, donec panderet secretum fortitudinis, non revelavit ex metu cadente in virum constantem, cum facile potuerit molestantem repellere, si serio voluisset, ita Pal. *nu.* 7.

Restat ultimum *num.* 300. indicatum an malum, quod prudenter iudicas imminere uxori, Filiis, ceterisque consanguineis, affinisque ex matrimonio ortis, cadat in virum constantem, proinde non requiratur, ut timens id patriatur in sua persona. Resp. Affirmative de Consanguineis, ac affinis intra quartum gradum, quia extra hunc non habentur conjuncti *C. non debet de Consang. & affin.* Ratio, quia omnes hi, aut faciunt unam personam moraliter, ut parentes, & filii, aut sunt caro una, ut Maritus & uxor, aut amor à natura infusus personas ex eodem Sanguine derivatas invicem conjungit, ergo malum consanguineis, aut affinis comminatum justè potest terrere virum constantem, prout jus ipsum agnoscit *C. sciant cuncti de Elect. in 6. ibi, vel consanguineis eorum, & C. quicumque de sent. Excom. in 6. ibi, in bonis suis, vel*

*suorum*, quem textum Gl. Verb. *Suorum* extendit ad alicujus domesticos. Et cum amici bona censeantur propria, sequitur etiam malum tibi arcta amicitia juncto imminens cadere in constantem virum, omnia hæc tradit Sanch. *D. 4. quæ in compendio reperies apud Pal. num.* 12.

Potestnè dari Regula dignoscendi, quodnam malum sit grave? Resp. Negative cum Pal. *num.* 13, Sanch. *D. 5.* cum universis DD. quia potest malum esse grave, facile tamen declinabile, aut ab incutiente inexequibile, aut metum patiens esse fortior; quorum cognitio dependet ab arbitrio prudente Judicis, uti & an malum attingat gravitatem necessariam e. g. amissio bonorum, incarcerationio, molestia precum cum metu reverentiali, item probabilitas mali, quod timetur, & qualitas patientis, Responso est utriusquè Juris *C. cum dilectus de his quæ vi*, juncta Gl. Verb. *Metum L. 3. ff. ex quibus causis major*, ibi, *non sufficit quolibet terrore adductum timuisse, sed hujus rei disquisitio Judicis est.*

\* \* \*



§. III.

An actiones factæ ex metu sint simpliciter involuntariæ, aut saltem secundum quid?

306. Voluntarium simpliciter tale sumitur dupliciter. Primò, ly *simpliciter*, ut importet voluntarium pure tale cum exclusione omnis contrarii  
*R. P. Karch, Diss.* Gg co

eo modo, quo DEUS dicitur simpliciter perfectus, seu cum exclusione omnis imperfectionis. Secundò, ly *simpliciter* voluntarium dicitur de eo, quod potiore ratione est voluntarium, quam involuntarium, id est, pro eo, quod plus habet de voluntario, quam involuntario. Hoc sensu Æthyops dicitur simpliciter niger, & secundùm quid albus, quia nigredo convenit illi quoad potiore partem corporis, albedo verò secundùm dentes. In isto secundo sensu pleraque, quæ fiunt ex metu, sunt simpliciter voluntaria, liberè enim eliguntur, ac efficaciter amantur media electa evitandi malum, quod minatur metum incutiens.

Duplices actus intercurrunt in operante ex metu; nempe actus à voluntate elicitus, quales sunt intentio finis, nempe declinandi malum comminatum, & volitio eligens medium ex fine, ut declinetur malum e. g. oritur tempestas minans naufragium, mercator intendit istud effugere; inquit de medio apto, non reperit hic, & nunc præsentius, quàm ejectionem mercium, hanc eligit. Juxta Trident. *Ses. 6. can. 8. & Ses. 14. Can. 4.* honesta est, & nullatenus vitiosa observatio Legis ex metu inferni, & *contritio imperfecta qua attritio dicitur, seu dolor ex gehenna, & poenarum metu communiter conceptus est donum DEI, & Spiritus sancti impulsus, sè voluntatem peccandi excludat*: ubi dolor de peccatis est actus à voluntate elicitus, uti & electio observantiæ legis, quæ est medium aptum evadendi metum inferni.

Quæstio proposita nequit intelligi de actibus, quos voluntas effectivè, & immediatè elicit, hi enim sunt simplici-

ter, ac purè voluntarii sine omni admixto involuntario. Ratio est, quia nullus actus juxta naturalem voluntatis inclinationem elicitus potest esse illi displicens; sed omnis actus voluntatis elicitus est juxta naturalem ejusdem inclinationem, ut patet in exemplis allatis, voluntas enim naturâ suâ inclinatur evitare naufragium, & pœnas inferni, consequenter naturâ suâ inclinatur ad media illa, sine quibus judicat non posse evitare, puta sine ejectione mercium in primo exemplo, in altero sine observantiâ legis, & dolore de peccatis commissis, ergo nullus actus ex elicitis à voluntate potest illi displicere, sed ubi nulla datur displicentia inefficax circa medium electum ad vitandum metum incussum, non potest intervenire involuntarium secundùm quid.

Est igitur Quæstio de electione alicujus operis externi ad effugiendum malum futurum, quod timetur, utrùm illud opus externum occasione metus electum, ut medium evadendi malum comminatum sit simpliciter voluntarium in primo, aut in secundo sensu e. g. in primo exemplo, an, & in quo sensu ejectione mercium sit simpliciter voluntaria; in secundo, an opera externa honesta, ut jejunium, flagellatio &c. assumpta ut medium impediendi pœnas inferni ex earum motivo sit simpliciter, & in quo sensu voluntaria, Vasq. 1. 2. D. 27. n. 7.

307. Pro decisione suppono primò, hæc duo esse diversa: opus fieri cum metu, & opus fieri ex metu: fieri cum metu est metum comitari actionem, non verò esse causam actionis, seu non antecedere actionem, adeoque metum non allicere ad operandum, sed facere ope-

rationem difficiliorem, sic metus, cum quo mercator navigat, efficit difficiliore navigationem. Opus fieri ex metu significat metum esse causam operandi, quod contingit, quando operanti opus electum ob fugam majoris mali, aut etiam minoris per num. 303. reverà displicet displicentiâ simplici inefficaci.

Suppono 2. Voluntatem posse tripliciter ferri in objectum possibile. Primò, complacentiâ, vel displicentiâ absolutâ efficaci, prout accidit, dum virtute illius virtus executiva applicatur ad opus. Secundò, complacentiâ, vel displicentiâ absolutâ simplici, & inefficaci, hoc contingit, quando affectus voluntatis sibi in objecto complacens, aut displicens sistit in illo sine ordine ad executionem. Tertio, complacentiâ, aut displicentiâ mediâ inter absolutam efficacem, & absolutam inefficacem, ut, si fit inefficax absolutè, efficax tamen conditionatè sub certa conditione.

Unde colligitur primò, quod displicentia conditionatè efficax stare possit cum complacentia efficaci absoluta circa eundem actum externum, sic mercator in periculo naufragii habet absolutam voluntatem efficacem projiciendi merces, cum qua voluntate stat volutio conditionata efficax easdè retinendi sub conditione, si metus naufragii non impelleret.

Colligitur 2. Quod dum opus externum metu factum dicitur involuntarium secundum quid, ut hîc ejection mercium, metus per se, & propriè loquendo non causet hoc involuntarium (quia metus seu fuga mali imminenti, nempè naufragii; cum sit secundum inclina-

tionem voluntatis abhorrentis à malo imminente est potiùs causa voluntarii, videlicet absolute, & efficaciter eligentis ejectionem mercium per num. 306.) sed tantum impropriè, & per accidens, quatenus causet absolutè electionem, cujus objectum scilicet ejection mercium aliunde, seu vi alterius actûs (nimirum volitionis conditionatæ efficaci eas retinendi cessante periculo naufragii) est contra inclinationem ejusdem voluntatis naturâ suâ propendentis ad retentionem mercium pro casu absentis metûs, seu si naufragium non metueretur: & ab hac voluntate concomitante ejection mercium fit involuntaria secundum quid, simpliciter verò voluntaria à voluntate absoluta efficaci.

Quare Colligitur ulterius 3. Quod si abesset dicta voluntas conditionata opposita voluntati ejiciendi, projectio nec secundum quid esset involuntaria: Id autem contingeret, quando metus non esset causa adæquata ejectionis, sed simul aliud motivum moveret ad ejectionem etiam secluso metu, ut si ex mera libertate voluntatis merces meregerentur, tunc enim ejection foret juxta omnimodam voluntatis inclinationem eo modo, quo comestio cibi sapidum est voluntaria simpliciter sine involuntario etiam secundum quid, licet fiat etiam ex metu inedia, quia etiam seposito metu concederetur propter sapiditatem.

308. Resp. 1. Ad Questionem 5. nullus metus antecedens causet simpliciter, & purum involuntarium. Ratio est, quia nullus metus antecedens facit, ut opus externum sit simpliciter contra inclinationem voluntatis, siquidem im-

peratur ab actu ejusdem elicitō simplici-  
ter voluntario *per n. 306.*

Resp. 2. Universaliter, quando  
metus non est totum motivum operis ex-  
terni, sed simul quid aliud movet, quod  
moveret etiam absente metu, opus fa-  
ctum partialiter ex metu non est secun-  
dum quid involuntarium, quia tunc ex-  
cluditur affectus absolutus subjectivè, &  
objectivè conditionatus oppositus volun-  
tati absolutæ efficaci imperanti opus ex-  
ternum, sine qua voluntate conditiona-  
ta concomitante non potest stare invo-  
luntarium secundum quid *per n. 307.*

Lis tota devolvitur eo, an si metus  
sit motivum unicum, seu adæquatum,  
eligendi medium ad malum comminatum  
evadendum, medium electum sit secun-  
dum quid necessariò involuntarium, affir-  
mat Joann. à S. Th. 1. 2. *quæst. 6. D. 4.*  
Gonet. *D. 1. a. 5.* exemplificant in matro-  
na honesta, & muliere inhonesta, dum  
utrique incutitur metus ad consensum;  
hunc in honesta dicunt esse secundum  
quid involuntarium, secus in inhonesta,  
quia hujus consensus in usum corporis fit  
etiam ex motivo alio, consentiret enim  
etiam seposito metu.

Alii distinguunt inter metum per se  
efficientem, & conformem appetitui in-  
nato, qualis nempe est illatus proveni-  
ens ex causis, quarum existentia adhuc  
ut inferentium metum est conformis inna-  
to appetitui; talis est metus pœnarum  
imminens ex peccato, metus amittendi  
salutem ex excessu cibi, metus amittendi  
amicitiam imminens ex ingratitude.  
Ratio est, quia author naturæ condidit  
hos metus, ut natura rationalis procureret  
suam æternam felicitatem, & tempora-

lem operando juxta rationis inclinatio-  
nem. Alium metum vocant per acci-  
dens: hic provenit à causis, quarum exi-  
stentia saltem ut inferentium metum est  
contra appetitum innatum, quatenus ap-  
petitui innato meliùs esset non subesse  
quam subesse illi metui; sic se habet me-  
tus naufragii, seu vitæ amittendæ, nisi  
mergantur merces, & sic de aliis.

Hæc igitur sententia docet, opus  
proveniens ex metu innato per se loquen-  
do non esse secundum quid involuntari-  
um, per accidens tamen posse esse invo-  
luntarium, quia potest dari displicentia,  
ac renitentia appetitus inefficax in opera-  
tione, quia fit ex metu, ita Soarez 1. 2.  
*D. 3. Sect. 2.* apud Marin hinc *D. 4. n. 12.*  
Consentit. Vasq. 1. 2. *D. 27. n. 8.*  
ubi dat Regulam: quoties in medio ele-  
cto ad vitandum malum comminatum nulla  
apparet ratio mali, nec movet ad ullam  
tristitiam, ad displicentiam, tunc nec  
minima ratio involuntarii immiscetur,  
& ideo observatio legis, ac superatio ten-  
tationis ex metu gehennæ, dum fit abs-  
que dolore, seu tristitia voluntatis, non  
est secundum quid involuntaria, esto ali-  
quam molestiam apprehenderet, sed ab  
ea non movetur.

309. Resp. ergo 3. Ad Quæstio-  
nem §. & dico cum secunda sententia  
posse eligi opus externum propter metum  
vitandum ut unicum, ac adæquatum mo-  
tivum, quin opus sit secundum quid in-  
voluntarium ita præter cit. Marin *D.*  
*4. n. 13.* probatio desumitur ex *n. 308.*  
de metu causato à causis consenta-  
neis appetitui innato. Tunc potest me-  
tus esse totale motivum eligendi operis ex-  
terni, ut medii evadendi metum, quan-  
do

do metus solus movet ad efficacem electionem operis, quin sit admixta ulla displicentia simplex, & inefficax circa idem opus externum, sed potest solus metus movere ad efficacem electionem operis externi, quin sit admixta ulla displicentia simplex circa idem opus, ut dum quis comedit cibos gratos ex motivo solo vitandi mortem imminensem ex inedia, potest quis obsequia alteri præstare aliàs grata unicè ex motivo non amittendi amicitiam, aut ex metu incurrendæ inimicitia &c. Idem dico de metu inferni, quod possit esse motivum totale respectu legis observantiæ ut medii illum evadendi quin ullum interveniat peccatum, seu vitiosa displicentia circa legis observantiam, quia quod observetur lex ex uno motivo honesto, ut hic ex metu gehennæ, & non ex alio, nullum est peccatum.

Respondebis cum aliquibus Thomistis; quando metus est unicum motivum actionis, significatur dispositio, & promptitudo animi conditionata ista, si non daretur metus, actio non fieret, talis promptitudo est peccatum. Resp. 1. Negando majorem cum Marin *num.* 14.

Soarez *num.* 4. quia etsi non proponeretur pro motivo unico vitatio inferni, non sequitur legem non observandam, observaretur enim ex alio motivo, ergo legis observatio non importat illam conditionatam veritatem, ac promptitudinem. Resp. 2. Transeat major, nego minorem, hic & nunc dari peccatum, sed daretur pro tunc, seu pro eo tempore, pro quo metus inferni non moveret: sicut quod nunc leviter tentatus resistat, non restitutus, si graviter tentaretur, nunc illi non imputatur non resistentia conditionalis, sed imputaretur licet nunc vera sit conditionalis, si tentatio esset urgentior, non resisteret.

Resp. Ultimò ad Quæstionem §. posse dari involuntarium secundum quid sine actu subjectivè absoluto & objectivè conditionato explicato *num.* 307. nempe ratione molestiæ, vel displicentiæ necessariæ, aut tristiciæ, qualis fortè fuit in Christo, in quo non fuit tunc dictus actus, & tamen passio corporis fuit secundum quid involuntaria propter displicentiam necessariam ac tristiciam.

\* \* \*



§. IV.

An metus gravis exculpet violationem præceptorum.

310. **P**Ræcepta aut sunt naturalia, aut positiva divina, vel humana civilia, aut Canonica, atque omnes actiones humanæ malum, sunt contra ali-

quod, aut etiam contra plura, præcepta nominata.

Ex iis, quæ opponuntur juri naturali, sive præcepto naturali non habent

Gg 3

em-



omnes æqualem sibi intrinsecam turpitudinem, nam quidam aded dissonant cum lumine naturali, seu recta ratione, ut in nullis circumstantiis etiã divinitus honestari possent, seu à sua malitia expurgari, ut mendacium, idololatria, odium DEI, perjurium, hæresis, pollutio, fornicatio sine dispensatione DEI, simonia &c. Quædam autem variatis objecti circumstantiis evadunt honesta, nam pro tunc non ampliùs sunt materia præcepti naturalis eas prohibentis; ejusmodi est acceptio rei alienæ in extrema necessitate, occisio proximi pro circumstantiis, in quibus injustè vitam meam aggreditur, si aliter me nequeo salvare, accessus ad scæminam postquam est facta propriæ per matrimonium. Demum si actiones spectato jure naturali, nec sint honestæ, nec inhonestæ, tunc si sint materia legis divinæ, aut humanæ illas præcipientis, aut prohibentis, præcepta acquirunt honestatem, prohibita inhonestatem ex legè divina, aut humana.

Rursus ex præceptis positivis, tam divinis, quàm humanis aliqua principaliter respiciunt propriam, & specialem operantis utilitatem ut præceptum divinum integrè confitendi, confessionem præmittendi sumptioni Evcharistiæ. Contra sigillum confessionis, consecratio in duplici specie, ac sumptio, rita Sacramentorum confectio, ut Evcharistia in pane triticeo, absolutio danda ritè disposito cum debita Jurisdictione, extrema unctio danda soli periculosè ægro &c. sunt ordinata in commune bonum Religionis, quod his præceptis attenditur.

Leges humanæ pleræque etiã pro materia habent singulorum utilitatem spirituales, si sint Ecclesiasticæ, ut præceptum die Festo Missam audiendi à laboribus abstinendi, jejunandi, cum Excommunicato non agendi. Aliquæ tamen prohibent aut imperant actiones respicientes ritum communem, ut sine Vestibus sacris, aut sine aquæ admixtione non sacrificare &c.

311. Dico I. Metus gravis etiã injustus, quando adæquatè causat actum de se bonum, non tollit per se vim meriti, hoc tamen minuit, nisi opus occasione metus evadat difficilius. Tres habet conclusio partes. Ratio prima est, quod vis merendi dependeat etiã à libertate, quam simpliciter retinet actus de se bonus ex metu factus. Ratio secundæ est, quod metus imminuat libertatem, voluntas enim magis propendet in opus, ad quod metus impellit, imminuta autem operis libertate imminuitur ejus vis meritoria, nisi defectus libertatis aliunde compensetur, prout compensari potest, quando opus redditur difficilius, sicut redditur, quandò conditionata voluntas non exequendi opus de se bonum sibi non displiceret in opere ut bono (sic enim opus omnino vitaretur) sed in difficultate, & molestia operi annexa, quod omninò hîc, & nunc omitteret ob ejusmodi incommodum, nisi urgeret metus, ut si ex metu gehennæ quis agat pœnitentiam, aliàs nunc non acturus (nisi horror pœnarum impelleret) non ob affectum erga peccatum, si pœnæ non adessent, sed ob alias difficultates, quæ hîc, & nunc faciant arduam pœnitentiam, idcirco voluntas efficax præ-

prævalens agendi pœnitentiam evadit virtuosior : Hinc patet ratio tertiæ partis nempe quod metus in simili eventu non imminuat meritum , et si imminuat secundum quid libertatem. Hoc assertum est conforme dictis *num. 293. vers. contra id.*

312. Dico 2. Metus etiam gravissimus, dum ex eo fit actus de se peccaminosus, rarissimè excusat in totum à peccato, quia relinquit, simpliciter voluntarium liberum, sed actus de se peccaminosus factus ex voluntario simpliciter libero non excusatur in totum à peccato, sed duntaxat ex parte plùs, minusvè pro decremento libertatis juxta gravitatem metus. *Dixi actus de se peccaminosus*, uti sunt omnes jure naturali prohibiti, nam de prohibitis solo jure positivo, paulò post aperiam. Ut autem clarescat magis hæc conclusio.

Dico 3. Metus mali etiam atrocissimi nequit excusare à mortali actiones lege naturali prohibitas, à quibus nunquam est separabilis malitia, dum ad hanc habetur sufficiens advertentia; ejusmodi sunt recensitæ plures *num. 310.* quibus adde Blasphemiam, directam occisionem Innocentis contra Jason. & paucos apud Pal. *p. 1. tr. 2. D. 1. p. 13. num. 4.* Ratio est manifesta, quia pro tempore, quo urget Præceptum, cum sufficienti advertentia ad ejus gravitatem, hujus violatio nequit excusari à mortali, sed præcepta naturalia prohibentia dictas actiones urgent pro omni tempore, ergo horum violatio nequit pro ullo tempore excusari à mortali, dum violentur cum suffi-

ciente advertentia ad eorum gravitatem.

313. Dico 4. Urgente gravi metu incusso ab extrinseco possunt excusari à culpa actiones intrinsecè malæ, proinde juri naturali vetitæ, quæ sunt de genere illarum, in quibus pro tunc deficit conditio, seu circumstantia, à qua dependet malitia illarum intrinseca, unde non peccat in extrema necessitate accipiens alienum, quantum sufficit, ut illi occurrat, nemo tenetur alienum restituere cum vitæ, aut famæ notabilis periculo; potest occidi injustus vitæ Aggressor servatâ inculpatâ tutelâ, Christiani licitè remigant in Turcicis triremibus contra Christianos, rustici licitè devchunt injusta spolia, & prædas militares &c. Ratio omnium est, quod lex naturalis in tali casu cessat obligare ob mutatam ejus materiam.

Ex hac duplici conclusione sequitur, quod metus mortis, aut alterius gravis damni ob accessum, vel recessum certæ circumstantiæ legis naturalis transgressionem à peccato aliquando excuset, aliquando non; non excusat pro ullo tempore, pro quo manent eadem circumstantiæ, à quibus dependet turpitudinis materiæ prohibitiæ à lege naturali, manente enim eadem materiæ legis prorsus invariata, est impossibile non manere eandem turpitudinem. Et ideo est communis sensus, quod lex naturæ præcipiens, aut prohibens per se, & directè sit immutabilis, ac indispensabilis, sed duntaxat indirectè, dum est lex de actionibus, quæ per accessum, aut recessum alicujus circumstantiæ cessant esse objectû, seu materia legis prohibentis naturalis: sic  
se

se habent actiones quartæ conclusionis. Econtrâ actiones conclusionis tertie pro omni excogitabili statu retinent omnes illas circumstantias, à quibus habent suam intrinsecam malitiam e.g. turpitudine mendacii dependet ab hac circumstantia, quod loquens utatur vocibus in alia significatione ab ea, quæ est illis ex consensu humano indita, nempe ut usurpentur ad significandos conceptus mentis, quos habemus de rebus, hoc enim lumen naturale dictat contra quod agit mentiens, hæc turpitudine manet semper, etsi quis mentiendo posset evacuare ipsum infernum.

314. Dico 5. Metus gravis excusat etiam actiones contra præcepta divina positiva, quæ principaliter respiciunt bonum operantis; secùs respicientia principaliter bonum commune, est commune apud Pal. num. 7. Ratio primi, quod prudenter præsumi possit Deum nolle obligare tunc ad media valde difficilia, videtur enim valere etiam in his legibus *R. I. 61 in 6. quod conceditur in alicujus gratiam, non est in ejus dispendium retorquendum.* Ratio secundi, quod bonum commune præferendum sit privato etiam vitæ. Utriusque partis exempla dedi n. 310. *vers. Rursus ex præceptis.* Ubi verbo. *Econtrâ sigillum &c.* casus illi etiam cum vitæ periculo vi præcepti divini debent impleri.

Vi prioris partis gravis metus excusat ab integritate confessionis si integrè confitendo prudenter timetur peccati alicujus revelatio, aut si æger adeò est debilis, ut moraliter sit impossibilis integra confessio; nec est obligatio præmittendi

confessionem celebrationi, aut communioni urgente metu simili. Et licet votum castitatis simplex lege naturali sit implendum, attamen gravi metu compulsus potest cum eo matrimonium contrahere non tamen consummare, quia consummatio foret fornicatio, cum gravis metus injustus ad id extorquendum incussus irriter matrimonium, Sanch. *L. 1. Decal. c. 18. num. 5. & cit. Pal.*

315. De præcepto divino confitendi, Eucharistiam sumendi, & Baptismum, quando obligant, an cum vitæ periculo debeant suscipi? Respondet affirmative Azor p. 1. *institut. lib. 1. c. 11. q. 2.* idque ex eo, quòd homo teneatur certam reddere, quoad fieri potest suam salutem etiam cum vitæ discrimine, sed nisi suscipiat dicta Sacramenta non reddit certam quoad fieri potest suam salutem, quia vera contritio est difficilis, & homo ignorat, an illam eliciat.

Contra est, quod minorem certitudinem homo possit habere, an verè Sacramentum suscipiat, quàm an eliciat perfectam contritionem, quia valor Sacramenti dependet à pluribus, de quibus non est penitus certus suscipiens, hinc *in tr. de Pœnitent.* tradidi, quod etsi etiam in agone attritio sufficiat cum absolutione ad valorem Sacramenti, quia tamen ex pluribus capitibus potest deficere valor Sacramenti, ideò cum attritione absolutus in mortis periculo tenetur elicere contritionem, aut actum Charitatis, ut, quoad potest, moraliter reddat certam salutem. Econtrâ in casu, de quo loquitur Azor, homo est minùs certus de valore Sacramentorum, quàm de contritione, ad hanc enim sufficit dolo-

re de peccatis propter bonitatem DEI fide supernaturali propositam, de his autem potest esse homo certior, quam de valore Sacramenti.

Resp. Ergò negativè cum Pal. num. 7. Sanch. num. 10. quia non tenemur media tutiora arripere, nisi quantum necesse est occurrere morali solùm, & probabili periculo salutis, aliàs obligemur ad impossibilia. Deindè argumentum Azorii probaret, quod quis ultra susceptum Sacramentum Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ etiam in mortis periculo sub mortali deberet extremam unctionem, & etiam confirmationem, si non sit confirmatus. Tertio nihil probat, quod Eucharistia, & Baptismus, aut Sacramentum Pœnitentiæ præceptum urget extra periculum, quia tunc non est discrimen salutis aeternæ.

316. An lex humana sive Canonica, sive civilis non obstante metu gravi cujuscunque mali etiam mortis sit observanda? Non est consensus inter DD. apud Soarez lib. 3. de Leg. c. 30. ubi duas extremè oppositas refert sententias; unam Almaini negantis, cui favet D. Th. 2. 2. q. 104. à 5. in corp. dicens in his, que ad conservationem Corporis spectant, hominem non teneri homini obedire; Alterum Cajet. 1. 2. q. 96. à 4. & 2. 2. q. 125. à 3. affirmantis. Communis opinio apud Sanch. num. 2. & seqq. 2. Pal. num. 9. distinguit inter leges principaliter respicientes bonum commune, & respicientes principaliter singulorum utilitatem spirituales, aut temporales; de prioribus plerique affirmant, de posterioribus negant; probant pri-  
R. P. Karch, Diss.

mum, quod bonum commune sit præferendum commodo particulari; probant secundum, quod ut similes leges obligent sub vitæ periculo aut excedat potestatem humanam, aut si non excedat, potestatem humanam, aut si non excedat, defacto ea non utatur, cum non concernat bonum commune.

Soarez cit. à. n. 4. ad 9. asserit, ut certum, quod potestas humana possit stringere cum vitæ periculo, si necessitas sit, est autem necessitas sic stringendi tunc, quando actus præceptus per se est connexus cum vitæ periculo, quando autem actus præceptus per accidens conjungitur cum vitæ periculo, tunc lex humana per se non obligat, at bene per accidens cum vitæ periculo. Quatuor partes assertio habet.

Pars prima attribuit hanc potestatem Magistratui tam civili quam Ecclesiastico pro casu necessitatis. Ratio est, quod Magistratui competat potestas illa, quæ est necessario pro conservatione boni communis, aliàs insufficienter esset prævisum gubernio Reipublicæ, sed sæpe est moraliter necessarium pro conservatione boni communis, ac Reipublicæ præceptum obligans, ut quis aliquid agat aut perseveret in aliquo loco etiam cum periculo mortis ut patet in obsessa ab hoste urbe, civis debet stationem suam servare, & quisque miles in bello periculoso, etiam si vita periclitetur, Clericus Sacerdos tempore pestis ex mandato justo Episcopi manere in tali loco ad obsequium.

317. Respondebis tunc ad hæc præstanda non lex humana, sed naturalis obligat. Huic bene obviat eximius Doctor num. 4. primò, quod esto tunc lex

H h

natu-

naturalis obliget in communi, secus hunc, aut illum determinate: quo casu potestas applicandi ad hanc, aut illam personam obligationem est penes Magistratum: secundo saepe potest esse dubia naturalis obligatio, ergo tunc inductio obligationis certae est juris humani.

Pars secunda est, quod dicta potestas competat pro casibus, in quibus actus praecipuus per se habet nexum cum vitae discrimine dummodo lex sit justa; nequit esse justa in re admodum difficili, nisi ex causa gravissima, ac justissima spectante ad commune bonum, siquidem Magistratus non est vitae Dominus, generaliter autem praesumenda est justitia, nisi lex manifestè appareat temeraria. Ratio hujus partis secundae est, quod si actus praecipuus per se est connexus cum vitae periculo, istud spectet ad substantiam actus.

Pars tertia deobligat in periculo mortis, imò etiam inferioris damni gravis, ut patet in praecipuo non communicandi cum excommunicato, in observantia praecipui jejunandi, missam audiendi, die Festo non laborandi, horas canonicas recitandi, non sumendi Eucharistiam sine jejunio naturali &c. Ratio hujus partis est allatum principium pro communi sententia, quod obligare ad ejusmodi actus contingenter connexos cum tanto incommodo, dum hoc imminet ex observantia, superet benignitatem Ecclesiae, si non potestatem.

Pars quarta, seu ultima probatur, quia potest contingere quod ex metu facta violatio aliquando possit cedere in contemptum Religionis, aut in grave scandalum pusillorum, tunc enim privatum

bonum etiam vitae postponendum bono communi, ac Religioni, ut si tyrannus die vetito praecipiat esum carnis in contemptum legis Ecclesiasticae, aut in praefessionem sectae haereticae, aut ut celebret sine sacris vestibus, aut non jejunus.

Si dicas oriri quidem obligationem in his, ac similibus casibus occasione legis humanae, sed non ex hoc, sed ex praecipuo naturali affirmativo, aut negativo, ut non praebendi aliis scandalum, vel non contemnendi legem, vel superioris potestatem &c. quae sunt obligationes legis naturalis pertinentes, aut ad legem Charitatis, aut Religionis vel confessionis fidei, vel justitiae legalis, non ad particularem legem positivam. Respondet Soarez *num.* 8. ultra obligationem legis naturalis etiam obligare legem positivam humanam: sicut dum est necessitas, confitendi fidem, obligat fides ad Martyrium sustinendum propter fidei confessionem, attamen simul obligat, etiam fortitudo. Unde sicut deficiens in Martyrio peccat non solum contra praecipuum confitendi fidem, sed etiam contra virtutem moralem fortitudinis, ita violans praecipuum positivum, de quo pars quarta loquitur, peccat non solum contra praecipuum naturale aliquod ex recensitis, sed etiam peccato in specie vitii contrarii illi morali virtuti, ad quam pertinet praecipuum positivum.

Resp. Mihi loquendi modum Patri Soarj placere. Caeterum quoad rem non videtur differre à communi sententia, ut patet ex exemplis, quae utraque sententia affirmat, aut negat.

318. Qu. 1. An verum sit, quod Ca-  
tanus & communior arbitrat potius esse  
moriendum, quam sine ullis vestibus sa-  
cris celebrandum. Conveniunt omnes,  
quod affirmativa Cajetani sit sustinenda,  
dum celebratio sine vestibus cederet in  
contemptum Religionis, aut Scandalum  
qualis contemptus vix abesse potest, dum  
Tyrannus mandaret functionem talẽ. At se-  
cluso contemptu, ac scandalo utrũ lex  
Ecclesiastica prohibens celebrari sine sa-  
cris vestibus, sit de genere illarum, quæ  
respiciunt principaliter bonum commu-  
ne, atque adeo cum dispendio etiam vi-  
tæ sit observanda juxta partem secundam  
in num. 317. Affirmat Pal. num. 9.  
& plures alii. Ego sequor negantem So-  
arez num. 15. Vasq. 1. 2. D. 161. cap.  
3. num. 15. &c. Cujus ratio videtur  
bona, quod non possit in hoc casu oc-  
currere bonum commune exigens potius  
mortem pati, quam celebrare sine ve-  
stibus.

Contra hoc & num. 317. partem  
Tertiam est difficilis textus C. Sacris,  
De his, quæ vivi, cujus non potest quis  
communicare cum excommunicato pro-  
pter vitandam mortem, excusatur tamen  
communicans coacte. Respondet Soa-  
rez num. 16. quod Pontifex ex loco so-  
lam fecerit differentiam inter vim, & me-  
tum, quod vis semper excuset, metus  
autem non semper, quando autem ex-  
cuset, vel non excuset, non definiat,  
sed relinquat generali doctrinæ in aliis ex-  
positionibus contentæ. Palao autem  
præfert eam interpretationem, quod ser-  
mo sit de communicatione cum excom-

municato in crimine criminoso, qualis  
communicatio, cum cedat in contem-  
ptum Religionis, aut legis Ecclesiasticæ,  
est intrinsecè mala, consequenter nec  
metu mortis cohonestari possit.

319. Qu. 2. An ad evadendum  
mortis periculum fas sit edere carnes hu-  
manas e. g. corporum interfectorum in  
arcta urbis obsessio. Negant Valent.  
Azor, Victoria, adducentes pro se S.  
Th. 2. 2. quæst. 142. a. 4. ad 3. ubi  
istud peccatum æquiparat fornicationi,  
quæ est illicita etiam in casu, quo per  
eam mors effugeretur, ipsaque natura  
abhorret ab esu, unde eas edentes vocan-  
tur barbari.

Resp. Probabilius affirmativè cum  
Sanch. Lib. 1. Decal. cap. 18. num. 12.  
Pal. num. 5. Ratio, quia horrorem es-  
sus vincit horror mortis, nec apparet ita  
intrinsecè malus, ac indecens, quin va-  
leat esse medium licitum ad evadendum  
mortem, ut patet in medicina, quæ li-  
cité conficitur ex carne humana unguen-  
tis condita, quam Medici mumiam vocant,  
condimentum enim non videtur mutare  
naturam cibi, & necessitas extrema est  
quædam naturæ infirmitas. S. Th. non  
obstat, quia non quoad omnia æquipa-  
rat fornicationi, sed quoad hoc, quod  
utraque sit contra legem naturalem, ve-  
rùm cum multa contra legem naturalem  
ex certis circumstantiis possint cohonestari  
per num. 313. non rectè deducitur  
S. Thomam opinari esum carnis humanæ  
non esse licitum in extre-  
ma fame.

\* \* \*

Hh 2

§. V.

## §. V.

*An contractus jure naturali, aut positivo ex gravi metu  
justo, aut injusto initi sint irriti, aut irritandi?*

320. **D**ixi ex metu gravi, quia levis etiam injustus *num* 299. definitus cum sit vanus, ac imprudens, nullo jure irritat, nec præbet actionem in foro externo, nec in foro conscientia rescindibiles facit, siue contractus sint onerosi, id est, utrimque onus imponentes ut emptio, venditio, locatio &c. siue sint lucrativi, seu tales, in quibus nihil vicissim rependitur, uti sunt promissio, donatio, testamentum, legatum, commodatum precarium &c. in quibus nullus est alius titulus dominium transferendi præter voluntatem liberalem, & gratuitam.

Ratio omnium est, quod sit in potestate operantis ex metu non huic acquiescere, sed illum facile repellere, ac contemnere sine contractus celebratione, unde cum irritatio contractus cedat in damnum grave Reipublicæ, siquidem plurimis contractibus facile intervenit levis metus injustus, plurimi ad instantiam patientis metum deberent rescindi propter malum leve alio modo facile evitabile, quod dici non potest; rescissio enim non est medium necessarium, ita docui in *Dissertationibus de Jure* *nu.* 253. contra Sanch. *lib.* 4. *de Matr. D.* 9. *num.* 4. Pal. *p.* 1. *tract.* 2. *D.* 1. *p.* 12. *num.* 2. &c. Obligantes in foro con-

scientia ad restituenda sic accepta; Eandem opinionem defendunt quotquot Sanch. *D.* 17. *num.* 2. afferunt matrimonium ex levi metu injusto initum esse ipso jure nullum, quorum sententiam Sanch. *num.* 4. existimat probabilem, nam levis metus injustus lædit libertatem, ergo sicut gravis injustus metus irritat, ita irritat levis. Idem est de Professione Religiosa.

De aliis contractibus dat Rationem Pal. quod cogens inferat injustitiam, sed hanc inferens obligatur eam tollere, in quantum potest restituere patientem in pristinum statum libertatis, vi cujus liberè possit probare, aut reprobare contractum.

Contra est, quod falsum sit lædi libertatem, consequenter nec pati invitè injuriam, cum possit, si velit contemnere metum non contrahendo, ergo si non contrahit libere consentire præsumitur.

Quapropter sequitur nullum contractum etiam matrimonialem, professionem, sponsalia, testamentum legatum &c. factum etiam à subdito, uxore, filio ex metu levi etiam reverentiali, importunisve precibus esse irrita, unde sequitur contractus nondum adimpletos esse adimplendos in conscientia contra adversarios deobligantes cum Sanch. *D.* 9.

à num. 13. Pal. à num. 3. ubi uxor metu reverentia inducitur ad fidei jubendum liberatur à solutione, etsi fidei iussio esset solennis; uti nec si promiserit se soluturam debita mariti morientis &c.

321. Dico 1. Nullus contractus sive sit naturâ suâ irrevocabilis, ut matrimonium & professio Religiosa, sive revocabilis, (uti sunt ceteri contractus) initus ex metu gravi incusso ab intrinseco, aut justè incusso ab extrinseco est irritus, nec ex revocabilibus obnoxius rescissioni, ita communis apud Lug. de Just. D. 22. à num. 156. Sanch. D. 13. num. 3. contra varios, & quidem plures eorum contrariantur quoad matrimonium, & Professionem: alii admittunt valorem de metu incusso à lege, secùs de incusso ab homine: multi Jurisperiti non agnoscunt apud Iugo valere contractus rescindibiles celebratos ex justo metu incusso ab extrinseco, secùs si causetur à metu ab intrinseco. Contra hos omnes probatur conclusio; quòd ubi nulla intervenit injustitia, ibi actus celebratus nullâ lege est invalidus, aut invalidabilis, sed in contractibus celebratis ex metu ab intrinseco aut extrinseco justo, sive à lege, sive ab homine incusso nulla intervenit injustitia, ergo contractus celebrati ex tali metu nullâ lege sunt invalidi, aut invalidabiles. Major videtur per se clara, eaque desumitur ex *L. si mulier 21 ff. de eo quod metùs causa*, ubi donatio facta ex justo servitutis metu à liberta sustinetur, ut valida. Minor etiam est aperta; homo enim propriâ libertate eligit contractum ad effugiendum malum futurum citra injuriam ab ullo illatam.

322. Ex hac conclusione sequitur 1.

nolentem implere valida sponsalia cogi posse metu gravi ad contrahendum matrimonium, nisi subsit causa justa resiliendi, quia etsi sit ab extrinseco est tamen justus.

Sequitur 2. Ex eadem causa deflo- ratorem virginis à Judice Ecclesiastico compelli posse metu justo ad ducendam defloratam, aut à parentibus minantibus defloratori accusationem, nisi filiam duxerit; tale enim matrimonium assumptum ut medium impediendi accusationem est validum, minimè autem valeret, si mortem illi minarentur, quia minæ mortis sunt injustæ, consequenter matrimonium tale esset jure saltem positivo irritum, utpotè ortum ex metu injusto incusso ad extorquendum matrimonium, Sanch. D. 9. num. 9.

Sequitur 3. Justè accipi posse pecuniam à fure extortam minando accusationem, nisi redemerit accusationem, quia potest justè accusari, ergo accipitur justo titulo Gobat *Theolog. Experiment. tract. 10. num. 180.*

Amplia sequelam, etsi non habuerit animum accusandi, ita Pal. p. 10. num. 5. ac alii contra Lug. num. 67. Mol. de Just. D. 514. Haunold. quorum fundamentum non est metus utpotè justus, sed dolus situs in ficto animo accusandi. Verùm hoc fundamentum invertitur; omninò: simulata hæc accusationis minatio continet dolum, sed non injuriosum, quia malum intentatum jure inferri potuit, processione hujus Juris, non solum, nè accusetur, sed ut nec accusari possit, pretium datur; tale autem est justum, cum minans se priveret jure



accusandi pretio æstimabili; Sanch. *D.* 9. *num.* 9.

323. Sequitur 4. Valiturum matrimonium condemnati ad mortem, cui offertur libertas, si duxerit filiam occisi, aut meretricem Judicis, quia matrimonii extorsio non est metus, sed offertur matrimonium, ut medium purgandi metum, qui jam per delictum est incussus, quæ ratio probat etiam de matrimonio contracto ab eo, qui injuste caperetur, & condemnaretur, Pal. *p.* 11. citans Sanch. Valent. &c.

Item valeret contractum ab aliquo cum filia Medici volentis cum ægrotantem curare, nisi accipiat filiam, Medicus enim non inquit sed morbus metum mortis, & in pretium poscit matrimonium, quale pretium esto sit excessivum, non tamen invalidat matrimonium cum absit omnis error, & dolus in contractus substantia, Sanch. *D.* 12. *num.* 15. nisi medicus sit obligatus ex Justitia, aut Charitate mederi pretio communiter taxato, quia tunc negans opem suam injustè metum mortis auget ad extorquendum matrimonium, & ideo hoc foret nullum juxta dicenda, Perez *de Matr.* *D.* 17. *S.* 9. *n.* 11.

An matrimonium, ad quod judex Ecclesiasticus justè secundum allegata, & probata compellit, ut si post sponsalia cogatur sponsus ducere sponsam, quam scit fornicatam, sit validum, est controversum; Affirmat Sanch. *D.* 13. *n.* 8. quia condemnatio est juridica, ac justa; sed hoc ipso est incredibile ejusmodi matrimonium annullari à SS. Canonibus de hoc casu tacentibus. Negat Pal. *num.* 3. contendens, quòd ad contra-

ctus irritationem non sit attendendum, sitne justa, ac licita coactio ex parte Judicis, sed potius ex parte patientis coactionem, ut pluribus ibi firmat. Affirmativa subscripsi in *tract. Canonist.* *num.* 162. *Vers. Quid si &c.* hinc addo negativam esse etiam probabilem.

324. Dices. Pro nullitate matrimonii & Professionis factæ ex metu gravi justè incusso ex Sanch. *D.* 13. clarè, eruditè, ac optimè exponente tres de matrimonio sic inito sententias insinuat *num.* 321.

Prima stat simpliciter pro nullitate, quia non minùs metus justus adimit libertatem quàm injustus, sed ob defectum libertatis est matrimonium nullum initum ex metu injusto, ergo etiam initum ex metu justo. Secundò, in *C. veniens el. 2. de Sponsal.* matrimonium ab adolescente reperto à parentibus in lecto cum puella, ac coacto ab iisdem ad eam ducendam censetur nullum, cum tamen coactio videatur fuisse justa.

Secunda sententia distinguit consentiendo priori, quando lex non obligat ad matrimonium aut ad professionem; Probatur, si deprehensum in delicto, nè accuses extorqueas ab illo pretium excedens ultra dimidium, facis illi injustitiam, tenerisque vel contractum rescindere, aut ad æqualitatem reducere, Less. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 45. ergo etiam matrimonium extorquens ob cessionem juris justè accusandi, injustè extorquet, siquidem matrimonium non solum dimidio, sed quasi infinitè excedit cessionem juris accusandi, ergo id exigens est injustus metumque inquit injustum, atque adeò matrimonium est irritum, cum semel va-

lidè

lidè contractum nequeat rescindi, uti nec professio, secùs alii contractus.

Eadem sententia secunda recedit à prima, quando lex ipsa incutit metum ex fine extorquendi matrimonium e. g. violasti puellam seductam, juxta fulè dicta in tract. Canonist. à num. 52. teneris eam ducere, aut dotare per cap. 1. & 2. de adult. quin sit irritum matrimonium, quia lex ad id cogit, èstque hæc coactio justa, ejùsque causam liberè præbuit delinquens.

Si dicas salvari libertatem, quia non cogitur copulativè ad ducendam & dotandam, sed alternativè, copulativa enim particula Et in cit. cap. 1. à Canonistis passim sumitur pro disjunctiva, vel.

Contra hoc bene arguit Sanch. quòd possit accidere, aliquem, si nolit ducere defforatum, cogi ad potiorem bonorum partem pro dote dandam; hoc casu metus gravis cadens in virum constantem, ut evadatur determinatè impellet ad matrimonium, quin valor hujus reprobetur.

325. Resp. Ambas sententias esse probabiles, Sanch. num. 1. & 2. Pal. num. 2. & 3. at probabiliorem nostram simpliciter stantem pro valore juxta num. 321. quia metus accusationis ortum habens ex proprio delicto, nequit facere esse coactum matrimonium, quia coactio radicatur in tuo delicto, consequenter in propria voluntate.

Ad argumentum 1. Primæ sententiæ Resp. Quando est irritum matrimonium metu injusto extortum non est tam irritum ob defectum plenæ libertatis, quàm ob injuriam, seu quia plenam libertatem injuriosè adimit Sanch. D. 13. n. 9.

ad4. Ad 2. Dico censeri nullum ob metum cadentem in virum constantem, qualis cum esse nequeat metus mali, quod delinquens sibi infert, sequitur parentes fuisse minatos illi injustè aliquod malum grave, licèt in C. cit. non fiat mentio, cujus mali fuerit cominatio.

Ad argumentum secundæ sententiæ quatenus consentit primæ ( quantum vero recedit à prima sentit nobiscum, & ideo non est necesse respondere) Resp. Nullum obligari posse absolutè, quàm à se ipso ad matrimonium, aut ad profutendum, posse tamen obligari ad alterutrum sub Conditione e. g. si petat à me, ut cedam juri, quod habeo adversus illum, possum processione petere matrimonium aut professionem, hoc casu ego non cogo illum, sed ipse eligit, si vult obtinere cessionem juris; dum pro hac exigo matrimonium, aut professionem, fateor me exigere pretium excessivum, sed læsio hæc non est circa substantiam matrimonii &c. cum nec sit error in persona, nec in conditione servili. E contra in cæteris contractibus læsio in pretio spectat ad substantiam, & ideo debet fieri, vel rescisso illorum, aut reductio ad æqualitatem. Quare negandum est, quòd extorsio matrimonii, esto illud eatenus sit læsio patientis metum, quatenus est medium excedens cessionem juris, esset injusta substantialiter, quia non absolutè, sed conditionatè extorquetur, uti est dictum, ita Pal. n. 4.

326. Pro dictorum claritate majore nota Primò, metum, qui alios contractus rescindit, annullare matrimonium Sanch. D. 6. num. 2. Unde cum metus justè incussus cæteros contractus

non rescindat Sanch. *D. 8. num. 8 & 9.*  
nec annullat matrimonium, Sanch. *D. 13.*  
*num. 3. ante medium.*

Notà 2. Quoties incutitur metus, quam incutiens justè inferre potest ob delictum, metus talis oritur potiùs, ex lege, & natura delicti, proinde ab intrinseco, quam ab extrinseco, quia intra ipsum patientem est justa causa, ac radix metuendi Sanch. *num. 3. in princip. & idè num. 9. ad 3. rectè negat, quod ob delictum duntaxat possit quis minari gravè malum, aut accusationem ex fine justitiæ punitivæ, sed etiam ad finem extorquendi matrimonium, quia potiùs delictum metum incutit, matrimoniùmque petitur loco pretii pro cessione juris accusandi, aut alterius gravis mali non inferendi, nullus quidem potest auctoritate privatâ cogere ad matrimonium, potest tamen auferre ex justa causa metum petito certo pretio, ac loco hujus petere matrimonium.*

Nota 3. Sponsum, ut impleat

sponsalia, compelli posse moderatè à Judice Ecclesiastico sub pœna Excommunicationis ad contrahendum matrimonium, metus enim iste jure præcipiente infertur, neque cadit in virum constantem Sanch. *num. 6. & lib. 1. D. 29. num. 4.* ante autem minas censurarum debet attentare media mitiora, ut primò seriò monere, deinde incarcerare, ac demum uti remedio censurarum, quando spes est animos non esse ita alienatos, ut nequeat sperari paccatum matrimonium, at si pertinacia spem nullam admittat, non est excommunicandus, ad quid enim vulnus sine spe sanitatis, & si excommunicaverit, relaxet excommunicationem ad declinanda scandala, quæ non rarò ex coacto matrimonio sequi solent, graviusque malum, quàm sit violatio fidei per sponsalia datæ, Sanch. *num. 8.* Hanc notationem pluribus deductam legere potes

*in tract. Canonist. de Matr.*

*num. 23.*

\* \*



## §. VI.

### *Continuatur quæstio priore Paragrapho proposita.*

327. **A**Nte statuendas Conclusiones præmitto cum Sanch. *lib. 4. de Matr. D. 8. num. 1.* quòd dum disceptatur, an contractus distincti à matrimonio sint ipso jure irriti, aut irritandi, non esse quæstionem exigui momenti ( esto dum contractus est rescindendus,

fit restituenda res cum fructibus perinde, ac si initio fuisset irritus ) quia si contractus est ipso jure irritus e.g. si quis injusto metu gravi motus renunciavit beneficium, renunciatio, si est ipso jure nulla, obligatur Horas recitare, potest ordinari ad tale beneficium, utpotè verè suum  
è Con-

contra si ipso jure valeret deobligatur ab horis, nec potest titulo, beneficij ordinari. Item, si testamentum tali injusto metu extortum est jure nullum, succedet hæres ab intestato, at si valet, hæres in eo institutus habet jus ad hæreditatem, fiscus tamen illi utpotè indigno potest adimere illam. Pariter dicendo, quòd sponsalia metu injusto extorta sunt irrita, non generant impedimentum publicæ honestatis, secùs si sunt valida etsi irritanda. Hoc præmissò ad quæstionem *num.* 320. motam.

328. Dico 2. nullus contractus naturâ suâ rescindibilis est jure naturali irritus, etsi processerit ex metu gravi injustè incusso ad illum extorquendum, ita communis cam Pal. *p. 1. tr. 2. D. 1. p. 8. num. 4.* contra Mol. *Tom. 2. de Just. D. 267. & 326.* & aliquos alios indistinctè loquentes; quibus adhærent quoad contractus lucrativos Vasq. *1. 2. D. 27. in fin.* Pont. *lib. 4. de marr. c. 6. n. 4. & c. 7. num. 4.* affirmans acquisita contractu lucrativo esse cum fructibus restituenda, secùs comparata ex contractu moroso ante rescissionem, & ideo cum vectigalia, aut novæ contributiones exiguntur à principe, licèt istæ fiant ex metu reverentia, aliòve gravi, in foro conscientia valent, quia non sunt liberalis donatio exigens plenum voluntarium, sed dantur ex oneroso contractu, nempe titulo tuendi Provincias contra hostes, ac prospiciendi publicis necessitatibus.

Probatur eatenus esset ipso jure nullus, quia metus infert gravem injuriam, sed licèt ita sit, non est ipso jure naturæ nullus: quando enim relinquit sufficientem libertatem ad consensum, nec ex-

*R. P. Karch. Diss.*

cludit titulum dati, & accepti, donati, & promissi, nihil deest à natura requisitum ad valorem, sed metus etsi injustus relinquit sufficientem libertatem, aliàs nemo peccaret impulsus gravi injusto metu, etiam non excludit titulum dati, & accepti &c. à paritate matrimonii cui dolus circa qualitates, causam dedit, ut si erroneè quis credat fœminam esse nobilem, aut divitem, aut virginem, matrimonium est firmum, ergo etiam spectato jure naturæ matrimonium contractum ex metu gravi injusto est validum, metus enim, & dolus æquiparantur *L. dolo C. de inutil. stipulat.* Ibi *dolo, aut metu adhibito actio quidem noscitur, si subdita stipulatio sit per doli mali tamen, vel metus exceptionem, submoveri petitio debet: & C. 2. de pactis in 6.* Hæc lex & ratio probat, quòd spectato jure naturali per tales contractus transferatur Dominium rerum.

329. Objicies 1. qui facit injuriam alteri per contractum, non debet ex injuriam reportare commodum, sed metu injusto extorquens contractum facit alteri injuriam per contractum, ergo. Resp. Exiguum habere inde commodum, quia tenetur injuriam reponere in statum veterem per rescissionem contractus.

Objicies 2. Si contractus metu extorti valerent, Dominium transferrent; sed non transferunt: ergo. Major est evidens, & ex natura contractus. Minor probatur: si transferrent Dominium in eum, qui metum incurrit, hic non tenetur restituere accepta; sed secundum

omnes debet restituere accepta: ergo. Resp. Eos Dominium transferre non firmum, ac irrevocabile, sed infirmum, ac revocabile ad instantiam passi metum, quo casu sunt restituenda omnia. Hæc obligatio non obstat Dominio, ut patet in Dominio Majoratus, etsi enim hic nequeat alienare, est tamen Dominus, proinde nec in nostro casu obstat Dominio, licet sit obligatio restituendi primo possidenti. Non igitur est de ratione Dominij potestas utendi re in omnem usum, sed est tentio rei iusto titulo, hoc est, titulo à jure non annullato, §. *per Traditionem Inst. de rer. divis. & L. Traditionibus C. de pact.*

Adde cum Pal. num. 5. patientem metum, si res per metum accepta devenit ad manus tertij, posse eum ab isto possessore vindicare, *L. metum autem presentem 9. §. volenti ff. de eo, quod metus causa*, ubi dicitur: *Volenti (nempe per metum) detur & in rem actio, & in personam: & §. licet*, dicitur, *etiam actionem in rem dandam existimamus, quia res in bonis ejus est, qui vim passus est*, non quod propriè res sit patientis metum, cum transtulerit Dominium, uti fatemur, sed quia qui habet actionem ad rem, rem ipsam habere videtur *Reg. qui actionem 15. ff. de R. I.*

Objicies 3. in Contractibus lucrativis nullus est titulus transferendi Dominium præter voluntatem liberalem, & gratuitam; sed in metu injusto extortis e. g. in donatione nequit esse voluntas liberalis, & gratuita, sed coacta, sicut

solutio usurarum est ipso jure nulla ob defectum voluntatis liberalis, ac tituli sufficientis ad ejus valorem. Conf. ex *L. donationis ff. de donat.* Ibi, *donat aliquis eâ mente, ut statim velit accipientis fieri, & in nullo casu ad se reverti. Et tantum, ut liberalitatem, & munificentiam exerceat, hæc verè donatio est.* Hanc legem Pontius appellat convincentem, & idè appellat cacutientes DD. nostræ conclusionis.

Resp. Nego majorem, licet enim non sit voluntas omninò liberalis, ac gratuita; sed coacta, est tamen simpliciter libera, & ideo absolutè valida, prout colligitur ex *L. fin. C. de his, qui vi, jubente infirmari per potentiam extortas non modo venditiones, ac transactiones, sed etiam donationes.*

Ad confirmationem dico, legem loqui de donatione perfectissima de qua Aristoteles 4. *Topic. c. 4.* vocans eam donum irredibile, id est, factum animo, ut nunquam reddatur donanti. Secundò, in tali coacta donatione est duplex voluntas; una absoluta efficax donandi; altera subjectivè absoluta inefficax, & objectivè conditionata non donandi, si metus abesset; vi primæ vult rem donatam esse simpliciter donatarij, nec eam sibi reddi; vi secundæ verò vult non esse donatarij, & sibi reddi eo modo, quo mercator in periculo naufragij vi voluntatis absolutæ efficax vult merces mercas, at vi voluntatis subjectivè absolutæ inefficax, & objectivè conditionatè efficax, nempe si non adesset periculum naufragij eas retinendi, ut fufius explicatum a num. 307.

Ex dictis colligitur, quod Petrus à metu extorquens testamentum aut legatum &c. Ratione injuriæ nequeat adire hæreditatem, legatum accipere, vi autem testamenti, aut legati potest, sed tunc ab hæredibus ab intestato exceptione injuriæ repelli potest, qui, si non excipiunt vi testamenti, & legati debent illum permittere adire hæreditatem, & legatum dare, verùm ipse propter injustitiam debet ab hæreditate, & legato abstinere, remque in statu pristino relinquere, Lugo *D. 22. num. 129.* Optime igitur hæc duo componi possunt te rem eandem obligari dare alteri ex uno capite, deobligari verò ex alio, sic potes esse debitor centum titulo mutui, eosque dare, at si injuriavit potes retinere exceptione injuriarum, donec satisfaciatur, Pal. *num. 5. verj. ad 3. Resp.*

331. Dico 3. Nullus contractus naturâ suâ rescindibilis gravi injusto metu ad eum extorquendum incussus, est regulariter positivo jure invalidus ipso jure, sed eodem jure invalidabilis, ita communior apud & cum Lugo à *num. 118.* Sanch. *lib. 4. de Matr. D. 8. num. 4.* contra Mol. allegatum *num. 328.* Probatur primò ex *L. fin. C. de his, quæ vi: Venditiones, inquit, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari.* & *C. de his, quæ vi,* ubi generaliter habetur: *quæ metu, vel vi fiunt, de jure debent in irritum revocari,* nempe ad instantiam passi metum, huic enim leges favere intendunt: subsumo, sed quæ infirmari, & revocari debent, supponun-

tur valuisse, ergo actus metu injusto extorti valent, irritari tamen, & rescindi possunt sive sint onerosi, sive lucrativi contra Pontium allegatum superius Azor, Medin &c. Dixi in conclusione *Regulariter,* quia aliqui contractus ut à *num. 340.* patebit ipso jure nulli.

Probatur 2. quando contractus sive onerosus, sive gratuitus fit ex consensu libero in substantiam, non est dicendus nullus, nisi detur clarum jus illum annullans, sed tam onerosus, quàm gratuitus fit ex consensu libero in substantiam, etsi extorqueatur metu injusto per *num. 328.* nec datur clarum jus cum annullans.

Respondebis esse annullatum per *L. qui in carcerem 22. ff. de eo, quod metus causa,* ubi dicitur: *qui in carcerem, quem detrusit ut aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est.* Respondet Lugo esse nullius momenti, id est, roboris, quia infirmandus erat ad instantiam injustè incarcerati.

Dices in *C. cum contingat, de jure jurando* dolus & metus æquiparantur, sed gesta ex dolo sunt ipso jure irrita saltem de jure positivo, etsi non sit dolus circa substantiam (excepto matrimonio, quod semper valet, si error, aut dolus non sit circa substantiam) ita Bonac. *de Contract. D. 3. q. 1. p. 1. §. 2. num. 3.* cui etiam adhæret Sanch. *lib. 1. de Matr. D. 64. num. 3.* quoad contractus bonæ fidei, secus quoad contractus stricti juris, unde cum sponsalia sint contractus bonæ fidei, hæc probat ibi esse irrita, quibus dolus causam dedit. Resp. nego-

minorem, cum Lugo *num.* 119. *vers.* 4. *arguitur ex num.* 78. quia dolus circa non substantiam actus non tollit simpliciter voluntarium liberum, & uterque non fictè consentit, consequenter uterque se obligat, decipiens quidem irrevocabiliter contra Sanch. *cit. & lib.* 4. *D.* 15. deceptus verò revocabiliter, quia decipiens tenetur dolum auferre, consequenter remittere jus vi contractus acquisitum.

332. Instabis, in usuris, quarum usurarius non fit Dominus ob titulum injustum, ergo etiam metum incutiens injustum ob titulum injustum non fit Dominus rei per contractum metu extortum, si enim fieret Dominus, deberet in Dominio præferri antiquioribus creditoribus, aut Privilegiatis. Resp. Antecedens esse sub lite: id concedunt Mol. Less. quia solvens usuras non intendit eas donare, sed ex debito solvere, ergo cum nullum sit debitum, ac titulus, nullum jus transfertur, in nostro autem casu inquit Lugo *num.* 119. *in fin.* adest titulus licet injustus ex parte accipientis & quidem in gratuitis est voluntas gratis dandi, in onerosis verò est titulus venditionis, aut alterius contractus. At probabilius negatur antecedens cum Lugo *D.* 25. *num.* 206. quia, si metus transfert Dominium non est ratio efficax negandi in solvendis usuris non transferri, cum utrobique sit voluntas transferendi Dominium, mutuatarius enim cum sciat usuras se non debere ex justitia, intendit eas transferre titulo humanæ fidelitatis pro accepto beneficio, quod licet sit indignum pretio tanto, vult tamen pro re minus valente dare plus, revocabiliter

tamen. Est ergo hæc sententia conformior principijs de contractibus ex metu. Reliqua, quæ objici possunt, soluta sunt à *num.* 329.

333. Dico 4. Contractus naturâ suâ irrefcindibiles, ut Matrimonium & Professio initi ex metu injusto gravi à quocunque incusso ad extorquendum contractum jure naturali non sunt annullati, at bene jure positivo sunt facto ipso nulli. Pars secunda de matrimonio est decisâ *C. cum locum* 14. & *C. veniens de Sponsal. & Matr.* De Professione verò in *C. 1. de his, quæ vi,* & *C. fin. qui Clerici vel vovent.* Sub hac quoad hunc effectum comprehenduntur etiam vota simplicia à Scholasticis Societatis emitti solita, quæ faciunt verum Religiosum, constituunt in statu perpetuo, quantum est ex parte Religiosi, *Pal. tr.* 15. *D.* 1. *p.* 5. *num.* 13. addens ex *Pont. lib.* 7. *c.* 29. *num.* 10. Tempore Eugenij II. *Can. sicut qui Monasteria* 9. 20. q. 1. Professionem vota simplicia non solemnia constituisse, quam ex metu factam irritavit.

Similiter votum ingrediendi Religionem metu gravi injusto extortum esse irritum probabilissimè tradit Soarez *ro. 2. de Relig. lib. 1. de voto c. 8. num.* 10. approbatus à *Pal. num.* 14. qui si valeret, obligaret ad actum nullum nempe ad ingressum per Professionem Religiosam, quæ ipso jure est nulla, metus enim mediante voto redundat in voti objectum.

Ex eodem Principio in *tr. Canonist. num.* 9. cum *Sanch. lib. 4. de Matr. D.* 19. *num.* 3. contra Less. Perez, *Pal. p.* 1. *tr.* 2. *D.* 1. *p.* 9. *num.* 3. ( quem

Wickl-


Wiestner num. 45. de iis, quae vi, metuve causa sunt, inconsequentiae arguit, quod concedat votum ingrediendi Religionem esse irritum metu extortum, sponsalia autem à metuloso celebrata velit valere) & Wiest. de Sponsal. à. nu. 257. Dixi Sponsalia metu injusto facta esse probabilius nulla, quia si valerent, vi illorum obligatio esset durante metu gravi contrahere matrimonium, quod est impossibile, quia matrimonium prout substans sponsalibus injusto metu extortis est nullum ratione metus gravis, qui mediantibus sponsalibus influit in matrimonium. Sic probata parte secunda conclusionis parte.

334. Probatum ejusdem pars prima, cum Lug. D. 22. a. num. 115. Sanch. D. 8. num. 4. contra Haunold. tract. 8. num. 106. Mol. num. 328. citatum, quod unica ratio eos irritandi foret defectus sufficientis libertatis jure naturae requisitae ad valorem, aut injuria illata per metum, sed neutra ratio tollit sufficientiam libertatis jure naturae necessariae ad

valorem, cum hoc jure non requiratur major ad matrimonium &c. libertas, quam ad peccandum mortaliter, non etiam obstat gravis injuria, quia non efficit, quo minus matrimonium sit simpliciter liberum.

Unde quod jus positivum staterit nullitatem in matrimonio, ac Professione, est factum ideo, quia metus gravis injustus vehementer imminuat libertatem, sine qua nisi sit plena, ac libera à metu gravi, noluit valere dictos actus ob infelices saepe eventus, quibus post semel factos tales actus, utpotè irrefcindibiles, ac naturam suam perpetuos obviari non potest: ideo major ad eos poscitur à jure libertas, nempe plena, consistens in aequilibrio in utramque partem: hoc aequilibrium metus injustus multum imminuit, dum horrore majoris mali imminenti impellit ad matrimonium aut Professionem velut ad medium declinandi majus malum.

\*  
\* \*



### §. VII.

*An contractus sit validus initus ex gravi injusto metu à contrahente, aut Tertio incussus ex alio fine, quam contractum extorquendi?*

335. **A**bsoluta Disputatione de valore contractus celebrati ex metu injusto, cujus incussio habuit pro fine ipsam contractus extorsionem, restat non levis mo-

menti controversia, de valore contractus, quem metum patiens offert, ut medium ad evadendum malum comminatum, quemque metum incutiens non intendit



extorquere, sed prorsus alium finem intendit e.g. vindictam. Exemplum sit in deprehenso cum filia fornicante, pater vult se vindicare occidendo illum, ut mortem effugiat, spontè offert se ad eam ducendam.

Quaestio celebris est an matrimonium hoc sit validum. In hoc casu metus incutitur à tertio, id est, à contradistincto à contrahente, estque metus injustus, cum nullus privatus possit justè minari mortem. Potest etiam metus injustus incuti ab ipso contrahente non intendente contractum, hunc tamen patiens metum offert cum eo ineundum, de hoc contractu non minùs dubitatur, an teneat.

Controversia est de contractibus tam dissolubilibus, quàm indissolubilibus. Constat de utrisque, quòd jure naturali non sint irriti ex metu injusto à quocunque etiam ex fine contrahendi incusso *per num. 328. & 333.* igitur multò minùs, si metus incussus sit ex alio fine.

Si contractus rescindibiles ex dicto metu initi jure positivo possunt annullari, etsi ipso pro jure non fuerint annullati, indissolubiles, ut matrimonium & Professio, erunt ipso jure nulli, & irriti, Lugo, *D. 22. num. 177. de Just.*

Essè autem *regulariter* rescissioni obnoxios primos, consequenter posteriores ipso facto irritos tenet Lugo à *num. 175.* Wiestner, *de iis, quæ vi, metusve causa fiunt,* cum pluribus aliis à *num. 34. ad 37.*

Probat Wiestner primo ex *cap. 1. de iis, quæ vi, metusve causa &c.*

ubi Alexander III. declarat nullitatem Professionis emissæ ab uxore metu mortis jussu mariti à militibus incusso ex fine ulciscendi adulterium, non autem ex fine extorquendi ingressum, ergo alii contractus ex edicto Prætoris sunt rescissioni obnoxii *Lib. 1. ff. quod metus causa gest.*

Secundò ex *L. nec timorem 7. ff. quod metus causa gest. cujus, §. 1.* ad edictum Prætoris, *quod metus causa gestum est, ratum se non habiturum,* unde *cit. L. 1.* Prætor pollicetur rescissionem, si in flagitio deprehensus ex metu, non jure, id est, injustè incusso aliquid dederit aut se ad quid dandum obligarit, esto non fuerit incussus ex fine eum sibi obligandi.

Tertiò. Ratione, quòd etsi metum incutiens non intendat contractum, gravem tamen injuriam infert alteri, vi cuius tenetur refarcire totum damnum inde secutum; sed metum patienti est contractus damnosus; ergo non obstante in hujus consensum, tenetur damnum ei totum refarcire, proinde eundem reducere in statum, in quo cessat damnum; hoc autem fit per rescissionem contractus.

336. Respondebis hoc damnum, quod ex contractu sequitur, non intendit injuriam inferens. Contra est quòd ad hanc obligationem inquit Lugo *num. 176.* non sit necessaria intentio damni, sed sufficit dedisse causam injustam, ex qua per se loquendo damnum illud consequi poterat e.g. calumniosè accusatus Petrus, pro sui defensione vendidit domum, ut pretium expenderet in litem, accusator

tene-

tenetur totum hoc damnum refarcire, et si accusando non intenderit pro fine venditionem domus, sed punitionem: ergo etiam idem dicendum in nostro casu.

Unde deducit matrimonium & Professionem fore nullam ex tali metu, quia etsi metus non incutiatur ex intentione matrimonii, aut Professionis, nihilominus sit consensus verè, & simpliciter ex metu injusto, ac ex hoc propriè operatur, ut enim ex hoc propriè censetur operari, non est necessaria dicta intentio ex parte incurientis, ut patet in ejectione mercium, quæ propriè sit ex metu, etsi tempestas non sit posita ex intentione ejiciendi mercies.

Dices cum Sanch. *Lib. 4. D. 12. num. 3.* metum patiens in nostra controversia non impellitur ab alio ad matrimonium, aut ad Professionem, sed à se ipso, quia nullus exigit tunc matrimonium &c. sed spontè metum patiens eligit. Respondet Lugo *num. 178.* non impelli immediate ab inferente metum, impelli tamen mediàtè ad matrimonium, &c. sicut mercies ejiciens non impellitur ad ejectionem immediatè à tempestate sed à metu mortis, mediàtè autem à tempestate causante immediatè metum.

Dices 2. Cum eodem *num. 11.* si damnato tibi injustè ad mortem, tertius offerat immunitatem, si duxeris filiam, tuum cum ea matrimonium valeret, ergo etiam valeret oblatum à Judice Reo injustè condemnato, quando enim metus vitiat, idem est à quocunquè metus inferatur. Respondet Lugo Distinguendo antecedens valeret matrimonium si offeratur immediatè immunitas pro ma-

trimonio nego antecedens; si offeratur mediàtè, ut si tertius suam operam damnato offerat ad impetrandam immunitatem, concedo antecedens; & nego consequentiam: Disparitas magna est inter oblationem primo, & secundo modo factam à tertio; nam immunitas à morte est ex Justitia debita damnato injustè, ut mortem redimat immediatè à metu injusto, cogitur eligere matrimonium pro immunitate à morte sibi debita, & ideo movetur immediatè à metu injusto, seu, à metu carendi immunitate sibi debita; in secundo autem obligationis modo movetur immediatè à metu justo, nempe à metu carendi operà illius Tertii, ipsi non debita, & ideo est contractus intrinsecè justus, non minùs, quàm emptio Domus est justa, etsi fiat ex prævio metu injusto ab alio incussò, ut constat ex exemplo allato in principio *num. 336.* ergo etiam in hoc secundo modo obligationis operæ non debita, uti supponitur ex Justitia, matrimonium oblatum ac initum est validum, esto mediàtè in id influat metus injustus, seu ad id moveat. Idem responderet Wiestner. *num. 35. in fin.*

337. Secunda sententia ad controversiam *num. 335.* Stat pro valore irrevocabili, ita Sanch. *num. 11.* Perez de Matr. *D. 17. S. 9. num. 3.* Haunold. *tract. 8. num. 117.* excipiens probabiliter ab hac sententia contractus lucrativos cum Pallavic. quia inquit, sic melius consulitur indemnitati, ex una parte, & ex parte altera alter contrahens; cum non patiatur ullum damnum, sed privetur duntaxat lucro, non potest conqueri justè, cum ipse nollet tunc obligari,

pro.

proinde valeat Regula luminis naturalis ac Evangelica. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Probatum si matrimonium contractum ex metu à tertio incusso non ad extorquendum matrimonium (dic idem, si à contrahente, aut à Judice cit. Sanch. num. 11. Perez num. 6.) est jure naturæ validum; etiam est validum jure positivo, si istud nullibi invalidet matrimonium, sed jure naturæ est validum & quidem à fortiori per num. 333. & jus positivum nullibi invalidat matrimonium initum ex metu incusso à tertio ex fine alio, quàm extorquendi matrimonium, ergo. Minor probatur, C. I. de iis, que vi &c. quòd pro se num. 335. in probatione primâ allegat Wiestner, expressè fateretur, quod milites volentes eam occidere in Sylva, ducti pietate pepercerint, si vitam Monachalem fuerit professâ in Monasterio, proinde metus fuit incussus ad extorquendam Professionem, & ideo declaravit Papa nullitatem.

Nec lex. 7. cit. in probatione secunda aliquid probat, nam Pomponius loquitur ibi *Verb. Proinde* de eo, qui aliquid dedit, vel se obligavit, non alteri Tertio, sed ipsum metum incutienti, & quidem injustum, ut fateretur etiam Lugo utens hâc lege, contra Sanch. ipsèque Pomponius L. 9. §. *Animadvertendum*, pro Sanchez statuit oppositum, uti observat etiam Zoës ad tit. *quod metus causa gest.* Verba legis sunt: *Si quo magis te vi hostium, vel latronum, vel populi tuerer, ut liberarem, aliquid à te accepero, vel te obliga vero,*

*non debere me hoc edicto ( rescissorio ) teneri, nisi ipse, hanc tibi vim submisi. Caterùm si alienus sum à vi, teneri me non debere: ego enim opera potius mee mercedem accepisse videor.*

Probatum 2. Matrimonium, & ceteri contractus in tali casu præter intentionem metum incutientis celebrantur, sed hoc ipso sunt irrevocabiliter validi, nam eos cum metum incutienti non intendat, eorum electio non ipsi, sed patienti metum, ut causâ adæquatâ attribuitur, estque id naturæ consentaneum, ad hanc enim spectat posse effugere malum imminens, consequenter etiam prospicere sibi de medio opportuno, tale autem judicat esse, si contrahat matrimonium, aliúmve ineat contractum pro diversitate circumstantiarum, ut si Princeps ducat in uxorem aliquam consanguineam alterius Principis injusti sui hostis ad hunc sibi reconciliandum, non ducturus, nisi judicaret matrimonium tale fore aptum medium: In isto casu est necessarium, ut valeat matrimonium, aliàs non esset medium aptum effugiendi hostilitatem, si enim Princeps hostis metum incutiens sine intentione matrimonii sciret matrimonium nullum fore, non moveretur abstinere ab hostilitate ob solam attentionem matrimonii; nec alter innocens contrahens unquam vellet cooperari patienti metum, si crederet fore nullum matrimonium.

338. Unde est magnâ Differentia inter matrimonium contractum à duobus, quorum unus id contraxit ex gravi iniusto à tertio incusso ex fine id extorquendi,  
nam

nam in isto casu potius expedit, ut matrimonium sit invalidum, quam validum, nam sciens non valiturum potius metum non incutiet ex hujus intentione ob eisdem impossibilitatem: E contra si valeat, alliceretur unice ad id extorquendum. Hinc merito tale matrimonium est factum ipso irritum juxta decisionem C. veniens 15. de Sponsalib. ibi: nisi metu coactus qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit, adherere facias, ut uxori.

Ceteri etiam contractus irritabiles initi inter aliquos ex metu à nullo contrahentium, sed à Tertio incusso ex fine illos obtinendi, etsi de jure naturæ non possint dissolvi ad arbitrium patientis metum (quia uterque contrahens est innocens, & sicut patiens metum, damnum patitur si cogitur servare contractum, ita alter pateretur damnum, si ad libitum patientis metum obligaretur rescindere, unde cum non sit potior ratio pro uno quam altero, uterque spectato jure naturali debet contractum servare) patiens tamen metum habet jus agendi contra incutientem pro damni compensatione,

Dixi spectato jure naturali, quia jus positivum ad instantiam patientis metum concedit rescissionem prout legistæ deducunt apud Haunold num. 116. ex L. 14. §. in hac ratione ff. quod metus causa ibi: In hac actione non queritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecerit; sufficit enim hoc docere, metum sibi esse illatum, & ex hac re

R. P. Karch, Diss.

eum, qui convenitur, etsi crimine caret, lucrum tamen sensisse. Propositis utriusque sententiæ fundamentis ad controverfiam num. 335.

339. Resp. Utramque sententiam esse probabilem, præfero secundam, in dissertationibus de Jure, & Justitia num. 256. brevius expediveram.

Conf. Nihil obstat quo minus tale matrimonium sit firmum; non jus naturale, siquidem per num. 333. jus naturale non irritat, etsi merus injustus etiam ex fine id extorquendi sit incussus. Non obstat defectus libertatis contrahentium, quia metus iste relinquit plenum usum rationis ex parte utriusque. Non obstat injuria, quam patitur metum patiens, quia nullus contrahentium alteri est injuriosus sed tertius, qui tenetur reparare damnum, proinde procurare, si potest ut metum non passus consentiat rescissioni, si hanc optet metum passus, quando est contractus ex annullabilibus, cum de Jure non sit annullabilis secundum nostram sententiam.

Ex hac confirmatione colligitur solutio rationis, quam contra hanc sententiam adduxi num. 335. ex Wiestner concessa enim majore, distingo minorem, est damnosus metum patienti transeat minor, est damnosus alteri contrahenti nego, unde cum uterque sit innocens, nec sit potior ratio, cur possit resilire patiens metum, ut damnum evitet, quam ut manent in contractu, nec alter patiatur damnum, Tertio incumbit onus, ut procuret ab altero consen-

Kk

sum

sum in rescissionem, cum jus hanc dene-  
gat in hoc casu.

Corollaria, quae ex hac secunda  
sententia, quam amplectimur deducit

Sanch. 4. num. 12. & ex illo Perez cit.  
S. 9. jam retuli, num. 322. in se-  
quelis 2. 3. & 4.

\*  
\*  
\*



### §. VIII.

*De pluribus actibus ex metu injusto factis deciditur, an  
sint de jure positivo irriti, ut etiam de votis, & jura-  
mentis metu extortis.*

340. **D**E contractibus naturâ suâ in-  
dissolubilibus, ut de matri-  
monio & Professione Religiosa, esse po-  
sitivo Jure Canonico irritos, probavi n.  
333. & seqq. quibus probabiliter accen-  
sentur Sponsalia, *ibidem*.

De actibus, qui rescindi possunt,  
tam onerosi, quam gratuiti, Statui nu.  
331. Regulariter non esse invalidos, re-  
gulariter inquam quia plures reperio ex-  
ceptos, quos Doctores volunt speciali-  
ter irritos esse de Jure positivo apud Lu-  
go de *Just. D. 22. à num. 123. Pal. p. 1.  
tract. 2. D. 1. p. 9. à nu. 2.*

Postremus asserit convenire DD.  
quod sequentes actus sint irriti. Primò  
adhibitio coactorum testium in testamen-  
to quam *L. qui testamentum §. fin. ff.  
de Testamentis*, quam Legem Augustin.  
Michel to. I. *Theolog. Canonico Moral.*  
*fol. 24. num. 7.* extendit ad testatorem,  
cum omninò debet esse liber usque ad ul-  
timum halitum, ut loquuntur jura.

Secundò, omnis promissio, vel ob-  
ligatio facta in gratiam ejus, qui in car-

cerem injustè conjecit, vel in eo detinet  
*L. qui in carcerem ff. de eo, quod me-  
tus causa:* textum relege num. 331.  
*Vers. Respondebis:* in quo textu verba  
illa, *nullius momenti est*, id est, nul-  
lius vigoris, hunc esse sensum hujus par-  
ticulae constat ex *C. ordinarii, de offic.  
ord. in 6. Aliter, inquit, facta col-  
latio nullius sit momenti.* Requiritur  
autem ut ad ejusmodi finem sit incarce-  
ratus. Esse solùm irritabilem promissio-  
nem talem sentit Lugo. num. 119.

Tertiò rerum Ecclesiae metu facta  
promissio, vel traditio, *C. proventus de  
Jurejur. & can. 1. 11. q. 6.*

Quartò, auctoritas tutoris aut cura-  
toris metu extorta *L. 1. §. fin. de Au-  
toritat. tutor.*

Quintò, absolutio à censuris, aut  
harum revocatio *C. unico de his, qua vi-  
in 6. ibi, absolutiois beneficium ab Ex-  
communicationis sententia, vel quam-  
cunque revocationem ipsius, aut suspen-  
sionis, seu etiam interdicti per vim,  
aut*

aut metum extorta presentis constitutionis auctoritate omnino viribus vacuum, ita Gregor. X. in Concil. Lugdun.

341. De sequentibus est magis controversum. Primò de donatione, & promissione gratuita. Affirmativam pro valore tenui superius à num. 331. contra Vasq. Pont. & Communem apud Lugo. num. 124. qui num. 126. assentitur nobis ex L. fin. C. de his, qua vi recitata num. 331.

Si quis opponat contractus Lucrativos ex dolo dante illis causam esse nullos, Respondi num. 331. Negativè, Vers. Dico; si dolus non sit circa substantiam. At loquendo de dolo versante circa causam finalem, quæ movet, sine qua donatio non fieret, hæc ipso jure naturæ est nulla defectu consensûs, ita cit. Lugo.

Idem Cardinalis num. 124. observat Lessium circa actus liberales ac gratuitos variare, non adhaeret nostræ opinioni Lib. 2. cap. 17. num. 37. è Contra cap. 18. num. 6. supponere videtur oppositum, dum definiens promissionem requirit, ut sit deliberata, & spontanea fidei obligatio: Deinde subdit: Dico spontanea, ut excludatur promissio metu, aut fraude extorta; hæc enim non est valida promissio, unde eam non tenemur implere, nisi sit jurata, ut docet D. Th. 2. 2. quæst. 89. a. 7. citatus Lugo adhaeret non huic, sed priori sententiæ Lessii.

Item purpuratus Doctor arguit inconsequentiam Sanchezium, nam Lib. 4. D. 8. num. 4. sine distinctione inter on-

rosos, & Lucrativos tenet nostram opinionem, & licet lib. 3. D. 39. num. 13. tuetur valere assistentiam matrimonii ex licentia metu extorta: postea lib. 8. D. 21. num. 3. ponit universalem Regulam, quòd rescripta Justitiæ (id est talia, quæ dantur ad explicandum Jus alicujus, aut dirimendas lites) etiam per subreptionem, proinde dolosè impetrata valeant, donec ope exceptionis elidantur; è contra rescripta gratiæ (id est illa, quæ concedunt aliquod beneficium, & dignitatem, aut jus operandi sunt dispensationes) dolosè, ac subreptitiè obtenta vult esse omnino irrita: ac tandem lib. 7. Decal. cap. 19. num. 17. Contendit licentiam à Prælato dolo, aut metu extortam ad quidpiam expendendum esse invalidam, proinde expendentem esse reum violati voti paupertatis. Hæc adduxisse placuit, ut constet mentem Sanchez non fuisse unam ubique, etsi generatim nobiscum sustineat validitatem contractum tam onerosum, quàm gratuitorum exceptis indissolubilibus.

342. Hinc rectè dixit validè assistere illum matrimonio ex licentia Parochi metu extorta, quia effectus assistentiæ nempe matrimonium irritari non potest, Lugo num. 228. Sicut inquit etiam validè observaretur pœnitens à peccatis ritè dispositus extorquens gravi metu absolutionem ex invicibili errore putans se graviter non peccare extorsione metûs.

Dispensatio in irregularitate (de hac nihil statutum est in cit. unico de his que vi n. 6.) omnisque dispensatio alia, & gratiæ quævis, promissiones, ac donationes valent quidem, at rescindi possunt,

sunt, & metum incutiens ob injuriam illatam, nullâ re quam obtinuit mediante metu uti potest, sed ex Justitia debet reddere, aliter enim injuria tolli non potest, nisi patiens metum restituatur primæ libertati, sic restitutus, si ratificet sua acta, metum incutiens tute uti poterit, secus si non spontè ratificet, potestque hic pro libitu revocare concessa, aut donata. Unde quoad effectum perinde ferè se habent, ac si ab initio fuissent irrita, & quoad ipsum perinde se habet gratia, dispensatio, ac donatio; ac si non fuisset concessa, ac obtenta, Lugo *num.* 129, atque adeò valor præfatorum actuum, cum sit ad nutum à metum patiente revocabilis, quandocunque placuerit, dictus valor est momentaneus ac pro nullo reputatur: Et hac de causâ dictæ donationes, concessiones, appellari solent irritæ, id est, instar irritarum habendæ, actus tamen, qui semel producti irritari non possunt (ut Sacramenta collata, aut suscepta) simpliciter validi sunt Lugo *num.* 128.

Ex his rursus patet rectè sensisse Sanchez ut retuli *num.* 341. Religiosum violare votum paupertatis, si quid contra hoc expendat ex licentia præhabita, quam à Prælato metu injusto extorsit, cum illi non magis profit, quam si non fuisset obtenta, debeatque ex Justitia Prælatum reponere in pristinam libertatem ante omnem licentiæ usum Lugo *num.* 129.

343. An metu simili injusto promissio dotis, vel hujus solutio extorta jure positivo sit invalida, est incertum. Negant Barbos. Bart. &c. quia ejus nullitas erueretur ex nullitate matrimonii vi

metus injusti extorti, cui est accessoria; sed ex hujus nullitate, non eruitur nullitas promissæ, aut solutæ dotis, stat enim matrimonium per metum non valere, quin assistentia ei accessoria, ac testium præsentia metu extorta sit nulla, ut numero superiore dictum, ergo etiam in nostro casu licet metus irritet matrimonium, secus irritabit promissionem dotis quare illud comüne: *accessorium debet sequi naturam principalis*, intelligendum est, quando est eadem in utroque ratio *L. est is C. de præd. Min.* Qualis hic non est, nam quòd matrimonium matriculosi sit irritum, est ratio, quòd semel validum, nequeat irritari, promissio autem dotis etiam valida est irritabilis.

Communior stat pro irritatione (idem est de artharum promissione & solutione) *L. si mulier 23. §. si dos ff. de eo, quod metus causâ ibi, si dos metu promissâ sit, non puto nasci obligationem, nec talem promissionem dotis ullam esse.* Ratio irritationis non fuit, quia dos est accessoria, ut bene probat sententia negativa, sed quia sic favet magis irritationi matrimonii factæ ab Ecclesia; hæc enim ratio fuit sufficiens, uti & ista, quòd si promissio dotis extorta metu valeret, nè puella hanc amitteret, cogeretur ingratum inire matrimonium. Hæc opinio probabilior est, Sanchez *lib. 4. D. 12. num. 23.* Less. *lib. 2. cap. 17. num. 37. Pal. n. 4.*

344. Quid de Jurisdictione, si hæc, aut ejus prorogatio metu extorqueatur, an teneat? negat Pont. *lib. 4. cap. 8. num. 14.* cum Abb. Bald. Bart. Affirmativa Sanchezii *lib. 3. de Matr. D. 39. num. 13.* Pal. *num. 6.* Less. cit. est

est probabilior, quia nulla lex, aut canon expresse irritat, lex enim secunda *ff. de Judic.* quæ est fundamentum negantium est specialis; duo enim litigantes fuerant compulsi consentire in Iudicem non suum, & ita prorogare jurisdictionem, prorogatio hæc declaratur irrita, cum ut valeat, debeat pendere à libero eorum consensu: hic ergo casus est specialis exceptus à Regula generali tradente: metu gesta tenere, ergo non debet extendi contra Regulam generalem sine alio textu.

Ex eodem principio verius est valere Electionem Prælati metu factam, Pal. *num. 6.* contra Navar. *C. accepta de Restit. Spoliat. Opposit. 5. num. 8. & 23.* Glossa in *C. bone 1. de Elect. &c.* & contra Adversarios proximè allegatos. *C. ubi periculum. 2. cæterum in pr. de Elect. in 6.* Ibi. *cessat Electio, dum libertas adimitur eligendi*, cui innititur sententia contraria procedit de libertate integrè adempta, qualiter eam non adimit metus, sed minuit. Est ergo duntaxat cassabilis, non cassata.

Idem dicendum est de valore sententiæ, quam extorsit metus injustus Azor *lib. 1. c. 11. q. 8.* cum Abb. Pal. *num. 7.* contra Host.

345. An renunciatio beneficii à jure sit annihilata. Affirmat Pont. *nu. 16.* cum cit. Navar. *num. 1. & seqq.* Host. Innoc. &c. Negat Less. §. *novus* Navar. *num. 7.* retractans quod prius longo tempore docuit, uti ipse fatetur, Pal. *num. 8.* Ratio, quod nullum jus factò dicat esse irritam. Adversarij fundant se in *C. ad aures de his, quæ vi: & in C. ad audientiam eodem: Ac in Clem.*

*multorum 2. de pœnis*, in qua renunciationes nec per captionem, & detentionem, seu injustam incarcerationem Judicis sæcularis etiam à renunciantium Prælati receptæ, & ratæ habitæ, *nullius omnino decernuntur esse firmitatis.* Sed ex his capitulis, & Clem. non probatur annihilatio factæ resignationis: Non ex *C. ad aures*, quia in eo solùm dicitur, nihil obstare, quo minùs eidem Ecclesiæ præficiatur resignans, ex hoc non sequitur, quod præficiendus sit sine nova Electione: aut si sine nova, non concluditur, quòd per resignationem non amiserit titulum, restitutio enim sine nova Electione est tacita beneficii collatio, sicut Beneficiatus ob impedimentum occultum nulliter obtinens beneficium, dispensatus sine nova collatione continuat validè primam. Clementina videtur magis urgere, verùm etiam ista loquitur de casu speciali, qui nequit transire in Regulam Universalem de Resignatione Beneficiorum, ex metu, loquitur enim de resignatione ex metu injusto per incarcerationem incusso, qui casus non debet extendi ad Resignationes extortas sine incarceratione.

Ex hac sententia patet, quòd resignans non teneatur ad horas nec ad tale Beneficium possit ordinari, nec fructibus frui, nec, licèt remaneret in beneficii possessione per triennium, juvenetur Decreto de pacificis possessoribus, quia possideret sine titulo. Pal. cit. oppositum quoad omnia sequitur sententia contraria, uti præmonuit Sanch. *ad ductus num. 327.*

346. Restat de votis simplicibus non facientibus Religiosum ac de Juramentis an gravi



gravi metu injusto directè, seu ex intentione extorta sint ipso jure positivo irrita. Dixi primò, *de votis simplicibus non facientibus Religiosum*, quia solennia, ac simplicia, Religiosa, jure positivo esse irrita probatum est *num. 333.* cum extensione ad votum ingrediendi Religionem.

Dixi secundò. *Ex intentione extorta*, quia si incutiens metum injustum non intendat votum, valere istud etiam solenne est opinio probabilior *per n. 337. & duos seqq.* contra Lugo, Wiestner citatos *num. 335.* Unde vota emissà ad avertenda bella injusta præsertim imminencia esse invalida nemo dixit teste Haunold. *de jure tr. 8. num. 118.*

Dixi tertio. *Metu injusto*, quia votum emissum ex metu justè incusso ad extorquendum votum sive simplex, sive solenne esse validum probabilior sustinet sententia cum Sanch. *lib. 4. Decal. c. 3. num. 21.* contra aliquos probabiliter dissentientes fatetur Sanch. qui *num. 9.* solidè ostendit jure naturali nullum votum elicitum ex metu injustè incusso gratia extorquendi voti irritari, eò quòd jus naturale ad valorem voti non poscat plus deliberationis, quàm ad peccatum mortale, sed ab hoc non excusatur, si quis ex talismetu e. g. fornicetur.

Ad difficultatem propositam opinio longe communior negat valere cum Sanch. *num. 21.* probans id ex *C. 1. de his, quæ vi*, in quo licèt sit sermo de voto solenni nihilominus tamen fere omnes Doctores extendunt id ad votum simplex, quia non minùs hoc est opus Consilij, habetque perpetuitatem, sicut solenne.

Less. *Lib. 2. c. 40. n. 5.* requirit ad valorem voti *spontaneam* promissionem, id est, inquit, non metu, aut dolo injustè extortam unde ut irritum rejicit votum metu gravi, ac injurioso extortum, allegatque *C. perlatum*, & *C. Abbas de jis, quæ vi.* Verùm ex neutro evincitur intentum, non ex primo, quia loquitur de Professione: non ex secundo, in quo non de voto, sed de beneficij resignatione facta à Clerico ex metu injustè incusso ex fine resignationis: causa ad Papam delata jubet hic cum restitui; *quia inquit, quæ metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.* Ex hac causali potius colligitur resignationem non fuisse irritam, sed in irritum revocabilem.

Pal. *p. 1. tr. 2. D. 1. p. 8. num. 6.* Ad quintum existimat vota simplicia per metum esse irrita non jure positivo scripto, sed traditione, & consuetudine Ecclesiæ vim Legis obtinente. Idem postea *tr. 15. de voto D. 1. p. 5. num. 13.* Tuetur ut probabiliozem sententiam de valore ejusmodi votorum, eis que addit votum Castitatis solenne annexum sacro ordini.

347. Resp. Vota simplicia metu injusto extorta probabilius valere, donec relaxentur dispensatione, ita Soarez *to. 2. de Relig. lib. 1. de voto, C. 8. n. 5.* Pal. proximè citatus, Wiestner *de his, quæ vi &c. num. 44.* Pont. *lib. 7. de Matr. c. 19. num. 9. &c.* Ratio quia sine Claro textu non est asserenda nullitas, ac irritatio actûs, utpotè odiosa, sed de nullitate ac irritatione votorum simplicium nullus est textus clarus juris,  
ut

ut paulò antea ostendi, ad capitula, quibus innititur Lessius, ad alia jura respondet, diluitque Soarez à num. 6.

348. De juramenti valore gravi injusto metu extorti est difficilis decisio ob varietatem sententiarum apud Pal. *tr. 14. de juram. D. 2. p. 4.* Non est questio de jure naturali, nam secundum hoc subsistere sufficienter habetur ex dictis, siquidem relinquit metus sufficiens voluntarium: sed de jure Ecclesiastico est difficultas, an hoc annullat juramentum.

Prima sententia non agnoscit valorem, ita Abb. cum multis apud Sanch. *lib. 4. de Matr. D. 20. num. 3.* reputantem eos probabiliter asserere.

Secunda extremè opposita stat pro valore cum S. Th. 2. 2. q. 89. à 7. Sanch. *num. 4. & lib. 3. Decal. c. 11. num. 14. & 15.* Less, Mol. Soarez.

Tertia cum Azor 1. p. *lib. 11. c. 7. q. 2.* ac alij apud Sanch. *cit. c. 21. n. 19.* distinguit affirmans obligare cadens supra contractus validos, & à jure approbatos, negans verò, si cadat supra contractus lege reprobatos.

Quarta cum Valent. 2. 2. *D. 6. q. 7. p. 4. in med.* quam laudans Fachinaeus sequitur *lib. 8. controuv. c. 102.* stat pro valore in foro conscientia, pro nullitate vero in foro externo.

Pal. à num. 5. tenet ut probabilius, quod secundum jus civile juramentum non valeat propter *Authent. Sacramenta puberum C. si adversus venditionem*, in qua juramenta metu extorta dicuntur esse nullius momenti, ergo tam quoad obligationem Deo, quam homini acquisitam.

Econtra, secundum Jus Canonicum, cui in materia spirituali standum, dictum Juramentum obligat, etsi cadat supra contractus à jure reprobatos, uti constat de promissione solvendi usuras jure reprobata *per G. debitores de jurejur.* Reprobatio enim contractuum talium, uti est alienatio fundi totalis, renuntiatio futurae Successionis, non est ita illicita, quin ut redimatur vexatio, evadat materia licita, cum hi contractus principaliter intendunt bonum privatorum, secùs commune bonum; huic non potest privatus cedere, secùs suo privato.

349. Resp. Jus Ecclesiasticum nullatenus irritare Juramentum injustè extortum derelicta, ita secunda sententia, quam etiam tuetur Soarez *ro. 2. de Relig. lib. 2. de Furam. c. 10. num. 4.* Hoc Responsum est decisum in pluribus locis Juris Canonici, sic in proximè cit. *C. debitores de Jurejurando* jubetur mutuatarius jurato promissas usuras solvere: *in C. si verò Eod.* decernit Pontifex non esse tutum in conscientia, si Juramento contraveniat coactus metu gravissimo jurare renunciationem juris sui, nisi tale sit, quod vergat in dispendium aeternae salutis.

Ratio est, quòd si metus injustus irritaret Juramentum, vel irritaret ratione injuria, vel ratione metus; non præcisè ratione injuria, nam injuriosa licèt sit usurarum solutio, attamen Juramentum valet; non præcisè ratione metus, aliàs etiam justus irritaret, ratio autem est, quòd metus non tollat sufficiens voluntarium; idque verum est, etsi sit injustus. Conf. metus injustus non impedit

pedit quo minùs sit verum Juramentum, sed hoc trahit obligationem in conscientia ob reverentiam DEO debitam.

Conf. 2. Solutione argumentorum, quæ pro se affert sententia prima; Hæc adducit primò. *Auth. puberum nuper cit.* Resp. Esse intelligendam quòd Juramenta à majoribus ex puberibus vi extorta, sint nullius momenti quoad contractùs firmitatem, non quoad Juramenti obligationem.

Deinde dici potest cum Pal. esse irrita secundùm Jus Civile, secùs secundùm Jus Canonicum, quòd etiam in foro externo, seu Judiciali esse in materia Juramenti observandum testatur ipse Pal. *num. 10.* Ratio, quòd causà, ob quam de Jure Canonico impleri ea oporteat, etiam locum habeat in foro Civili, nempe reverentia DEI in testem vocati exigit, ut omnia, quæ absquæ animæ dispendio æternæ salutis servari possunt, adimpleantur nisi ex causa justa fiat relaxatio.

350. Adducit 2. *C. cum contingat de Furejur. & C. quamvis pactum de pactis in 6.* in quibus decernitur servanda esse Juramenta, non vi, nec dolo præstita, nec vergentia vi animæ dispendium, aut in præjudicium Tertii, ergo à contrario sensu vi, dolo præstita &c. servari non debent. Resp. Concesso antecedente, consequens est verum post eorum relaxationem, uti ad instantiam sunt relaxanda secundùm Sylv. &c. Capitula, ut sic via coactionibus præcludatur: è contra ubi vis, aut dolo non intervenit, servari debent sine relaxatione.

Adducit 3. Quòd allata jura metum, & dolum æquiparant, sed Juramentum dolo extortum est nullum: ergo etiam metu injusto extortum. Resp. Equiparari quoad hoc, quòd uterque tollat à contractu firmitatem secùs quoad obligationem, quia dolo sæpè tollit consensum, non metus, Pal. *num. 11.* remittens se ad proximè sequens p. 5. ubi *num. 16.* ex consensu omnium, scribit dolum circa substantiam dantem causam contractui de Jure etiam positivo esse invalidum, è contra *num. 19.* adstruit ad valorem contractibus, quibus dedit causam dolo versans circa qualitates ac eorum circumstantias, sive sint Juris stricti (quales sunt omnes in quibus Juxta secundùm rigorem juris, & attentis contrahentium verbis tenetur judicare) sive sunt bona fidei (id est, tales, in quibus bona, & rectæ Judicis conscientia plurimum attribuitur, ut in emptione, venditione, locatione, conductione, deposito, commodato) donec exceptione doli mali rescindantur: postea *n. 22.* negat, quando dolo à tertio commissus est ignaro contrahente, deceptum posse agere ad rescissionem contractùs, sed duntaxat actione quanti minoris, id est, ut contrahens ad æqualitatem reducat. At adversus tertium potest actionem movere in id, quod interest, nempe, ut restituat lucrum cessans, & damnum emergens ex dolosa deceptione.

Adducit 4. *C. provent de Furejur.* ubi Episcopus rebus suis spoliatus, & jurare compulsus de non repetendis ablatis decernitur *Episcopum nullius juramenti vinculis super hoc posse constringi.* Resp. Esse incertum, an

Epi-

Episcopus hic fuerit spoliatus rebus Ecclesie administrationi sue commissis, vel vero propriis; si dicatur primum Juramentum omnino est irritum, utpote de re iniqua, cum Episcopus rerum Ecclesie administrator, & non proprietarius, non potuit in prejudicium Ecclesie se valde adstringere ad eas non repetendas. Non refert, quod Pontifex dicat se Episcopum absolvisse, est enim intelligendum de absolute declaratione, nempe quod quoad factum sit declaratus absolutus, vel quod sit absolutus quoad cautelam, id est, majorem securitatem, non de absolute a Juramento. Dicebantur res

ejus ideo, quia ejus curae commissa erant, Pal. cit. num. 11.

Si dicatur secundum, dicendum Episcopum fuisse absolutum proprie a Pontifice, qui nullam causam absolvendi, seu relaxandi Juramentum assignat prater metum tacite innuens hunc solum fuisse causam relaxationis, eumque sufficere, proinde quod coacte jurans nequeat vinculis juramenti firmiter, ac irrevocabiliter constringi, cit. Pal. Soarez

to. 2. de Relig. lib. 2. de Juram. cap. 10. num. 7.

\* \* \*



§. IX.

De rescissione contractus extorti metu injusto & hujus probatione.

351. **C**ontractus, quem metus injustus causavit, vel est initus cum ipso metum incutiente, vel ex hujus intentione cum tertio innocente. Item vel jam est contractus traditione rei consummatus, vel nondum.

Jus succurrit laeso quovis modo. Et quidem si necdum res est tradita, hanc incussor metus petens repellitur exceptione metus, quam si excipiens probet, absolvitur per Judicem ab ejus impletione, Laym. in C. Abbas 2. de iis qua vi metusve causa fiunt num. 3. Gl. ibi Verb: **Caustus.** Ratio, quia cui competit

R. P. Karch, Diss.

actio, a fortiori competit exceptio per Reg. qui ad agendum 71. in 6. Laesus autem habet actionem adversus concussorem seu authorem metus.

Si res e.g. donata, aut vendita jam sit tradita, Jus Civile non concedit actionem, eo quod voluntas coacta revera sit voluntas, L. si mulier 21. §. 5. quod metus causa gest. Atque adeo non defuerit consensus, sed quia inique metus incussus illum elicuit, Praetor laeso actionem Jure Civili non proditam ex aequitate concessit ad rei extradita redditionem; Haec actio quod metus causa

L1

num-

nuncupatur à verbis primis, à quibus Prætor incipit Edictum: *Quod metus causa gestum est, ratum non habeo L. 1. ff. quod metus causa, &c.*

Factâ rescissione per Judicis sententiam Author metus obligatur reddere non solum rem, sed etiam fructus perceptos, quosque metum passus percipere potuisset ex re sic extorta *L. sedet partus 12. pr. ff. eodem*, quia est restituendus in integrum *L. non interst. §. in fin. C. de his, qua vi, metusvè, &c.* sed nisi fructus etiam percipiendi restituerentur, non foret restitutio in integrum, sive in statum, in quo secluso metu fuisset, *Zoës in ff. eod. num. 19.*

352. Eadem actio metu concusso competit adversus tertium, ad cujus manus à concussore devenit per cit. *L. non interest*, quia, ut quis ex alieno crimine lucretur, non finit naturalis æquitas. Unde non est actio purè personalis, sed etiam est actio in rem scripta, quia datur contra quemcunque, qui ex illato metu sensit commodum, licet ipse non intulerit, *L. metum 9. §. fin. ff. quod metus causa*. Is sive sit ipse Author metus, sive tertius, dum in hunc ab illo res transivit, si intra annum utilem conventus, ac à Judice jussus reddere, non paruit culpabiliter, ut contumax condemnandus est in quadruplum, cui tamen simplum inest, *§. item actio 27. Inst. de Actionib.* Hæc pœna non est metus illati, sed contumaciæ, hac cessante intra annum condemnatur in simplum, uti & si condemnatur post annum, quia actio pœnalis Prætoria qualis est ista, non egreditur annum, nisi sit

actio furti manifesti, quæ est perpetua; *Inst. de perpetuis, & temp. Action. §. 1.*

Quando Titius te metu compulit, ut tertio e.g. Cajo vendas equum, duplex tibi competit actio, una contra compellentem personalis de refarciendo omni damno, altera contra Cajum, ut hic recepto pretio restituat equum, *L. si item §. 5. ff. de Actionib.* quia etsi Cajus acquisiverit Dominium in equum de jure civili, cum hoc jure venditio tunc valeat *L. Traditionibus 20. C. de passis*. Jure tamen Prætorio cum metus eam extorserit, est rescindibilis, etsi alius ab emptore, eum incusserit ita cit. *Gl. verb. Coactus, Sanch. Lib. 4. de Matr. D. 8. num. 7. ex L. si cum exceptione 14. §. in hac actione ff. de eo, quod metus causa*, claro textu.

353. Cum metus aliquos contractus efficiat ipso facto invalidos, alijs jure validos, Judicis tamen Autoritate rescindibiles, Judex nec priores potest declarare nullos, nec posteriores dissolvere, nisi allegans metum, hunc probet, quia delictum, quale est injusta metus incussio, non est præsumendum, sed alleganti incumbit onus probandi, *L. merito §. 1. ff. pro socio*.

Quæ igitur 1. An metus gravis probatio sit difficilis? Resp. affirmative cum Mascardo *de Probat. Conclus. 1057. num. 20. & 6.* quia metus consistit in mente, cum sit *instantis periculi, vel futuri causa mentis trepidatio L. 1. ff. de eo, quod metus causa*, quæ autem in mente sunt, difficilem habent, pro-

probationem, præsertim cum metus relinquit simpliciter voluntarium, ac involuntarium secundum quid ut stabilitum est à *num. 308.*

*Qu. 2.* An, & quæ dentur argumenta, quibus legitime probetur gravitas metus? *Resp.* Affirmative, suntque omnia illa, quæ apta sunt inducere gravem metum, de quibus relege superius à *num. 300. ad 306.*

*354. Qu. 3.* An etiam conjecturis, seu indicijs probari possit, & quibus? *Resp.* ad primum, affirmative quia quæ in mente latent, cum sensibus non pateant, ex indicijs, quæ sensibus objiciuntur, sunt conjecturanda, nempe per propinqua, secus remota, & extrinseca Jalon in *L. interpositos num. 4. v. de transact.*

*Resp.* ad 2. Ejusmodi conjecturas in specie multiplices recenseri apud DD. *Pal. p. 1. tr. 2. D. 1. p. 14. à num. 3.* *Reiffenst. de jis, qua vi metusve &c. à num. 18.* præcipuas compendiosè refert *Wiestner cod. num. 60.* primò si tractatus præcesserit de cogendo ad contrahendum. Secundò, si probes te fuisse incarceratum, aut etiam in privata domo clausum contraxisse. Tertiò, si post contractum fugeris, ne eum exequaris, nempe si detentio fuit injusta procedit conjectura hæc, uti & secunda, licet detinens non fuerit minatus carcerem diuturnum, aliudve grave damnum, sed sufficit, si satis probabiliter possis timere inferendum, si resistas, *Pal. n. 5.*

*Dixi si detentio fuit injusta,* nam justa non reddit contractum rescindibilem, aut jure nullum, si sit irrevocabilis, unde matrimonium à stupratore per

Judicem Ecclesiasticum compulsò contractum cum stuprata valet, etsi non dimissus ex carcere id contrahat, unde explodit *Pal.* consuetudinem quorundam Judicum Ecclesiasticorum existimantium non fore liberum, sed coactum matrimonium, si in carcere contrahat, exitus præcisè ex carcere, nisi habeat facultatem eundi liberè quo vellet, non censetur esse extra carcerem formaliter, uti probat *Sanch. Lib. 4. de Matr. D. 13. num. 4.*

Addit *Pal. num. 6.* quòd fuga post actum gestum sit quidem sufficiens conjectura pro præsumendo metu, non tamen integra probatio.

Quarto, in contrahente post actum initum insolitus pallor vultus, vox tremula, ac similia mentis consternatæ indicia observata, ex his plene probatis, & aliquando in defectum plenæ probationis accessu juramenti de actu metu extorto Judex declarabit nullum, aut rescindet *Wiest. num. 60.*

*355. Qu. 4.* An plus credendum duobus testibus deponentibus metum esse illatum, quàm pluribus etiam millenis negantibus. *Communis* affirmat cum *Mascard. Conclus. 1058.* quia negantes metum deponunt de spontaneo consensu Soli Deo cognito; e contra affirmantes metum testificantur de coactione, quæ actibus externis, utpote sensibilibus probatur; hæc autem probatio est potior, quàm mille purè negantium.

*Wiestner num. 62.* componit utramque opinionem, beneficio distinctionis, subscribens affirmativam in casu, quo duo deponunt de metu illato certo modo, determinato loco, & tempore, negan-

negantes verò præcisè deponunt actum esse sponte gestum.

Negativam verò sequitur, quando coactio certo modo, & tempore illata asseritur à duobus illis, alij verò numero plures, aut etiam pares negant tali modo, loco, aut tempore metum esse incussum, quia utrique deponunt de actu sensibus subjecto, & in hoc sunt pares, cæteris autem paribus fides potius adhibenda deponentibus, qui delictum excludunt, cum hoc in dubio non præsumatur *C. fin. de præsumpt. & cit. L. merito § 1. ff. pro socio*, consentit Sanch. *D. 27. num. 3. Pal. num. 8.*

Ampliat Wiestner, ad deponentes pro spontaneo cum circumstantijs actus gesti, (de quibus tacent stantes pro metu) ex quibus præsumptiones verosimiliores erui possunt.

356. Qu. 5. An metus probatio, arbitrio Judicis relinquenda? Pro affirmativa Decius apud Pal. *num. 7.* allegat *L. metus autem causa 3. ff. ex quibus causis major 25. annorum Rest.* Verum teste Pal. lex hæc solum probat Judicis arbitrio relinqui qualitatem metus, secus qualitatis probationem. Nihilominus asserit sæpe relinqui, quia sæpe non constat, an deponentes sint omni exceptione majores; nec an probationes pro metu vincant probationes pro spontaneo consensu: Ergo in similibus Judex debet decidere ex circumstantijs. Idem approbat Sanch. *num. 3.*

357. Qu. 6. Quando censendus sit injustus metus purgatus, seu cessante? Questionem hanc accuratè dissolvit ex alijs Pal. *num. 9.* & idèd cum eo. Resp. quamdiu non cessat causa metus non censeferi metum purgatum, durat autem cau-

sa metus ad tempus, quo metum patiens manet subjectus incutiendi metum, Sanchez *Lib. 4. de Matr. D. 18. num. 7.* ut si Judex illum incutiat, dum officium ducat, aut vir uxori durante matrimonio, Pater Filio quousque hic illi subicitur. Ex hoc.

Infert Quatuor. Primò solviffe ex metu illum incarceratum qui in carcere cavit de solvendo, postea dimissus ex carcere, post intervallum solvit, quia nisi solvisset, iteratò incarceratus fuisset.

Secundò, si quis ex metu vendidit rem, postea ex intervallo illam tradidit, durante adhuc metu, venditio adhuc est facta ex metu.

Tertiò, uxor à Marito verberata ob dissensum præstitum instrumento mariti exigentis ab ea consensum, esto ex intervallo det assensum, hic censeatur factus ex metu.

Quartò, mulier ex metu ingressa Monasterium, licet pluribus annis ibi maneat, non purgat metum, quando hujus causa etiamnum permanet, vel adhuc vigent impedimenta reclamandæ cit. Sanch. *num. 8.*

Ratio horum est, quòd causa metus semel posita præsumatur durare, quamdiu non probatur perire Menoch. *Lib. 6. præsumpt. 37.*

Unde, ut metus censeatur purgatus, opus est actu externo. qui omni ex parte significet spontaneum, & liberum consensum, unde si aliam interpretationem recipit, metum non purgat, Sanch. *num. 9.* ex Navar.

Hinc rectè *num. 10.* deducit, quòd ex metu jurans se soluturum, etsi solutio appa-

apparenter sit spontanea, possit petere rescissionem, quia non præsumitur sponte sua, sed metu, perjurii incurrendi.

358. Dic ergo per quales actus demonstratur spontanea voluntas, metum purgans? Respondet cit. Pal. responsionem non esse facilem. Tres enumerat actus. Primus est, si actus celebratur in præsentia Judicis, seu Magistratûs, Sanchez *D. 27. num. 2.* cum Mascardo Jalone, quia favore Judicis agens potest repellere omnem metum. At Pal. cum Bart. Bald, putat solum inde præsumi purgationem metûs, secûs claram, hujus probationem.

Secundus est actus celebratus in præsentia consanguineorum, vel amicorum, cit. Sanch. cum aliis. Verùm hoc intelligit Pal. cum Mascard. quando consanguinei, aut amici possunt sufficienter resistere violentiæ metum inferentis non aliàs.

Tertius, est spontanea Cohabitatio cum inferente metum, ut si facile possit fugere, neque fugit, censetur voluntariè consentire, sic judicatur ratificari matrimonium aut professio metu facta, si contrahentes, aut profitentes non fugiant, aut non reclament dum facile possunt, ita exprimit C. ad id de sponsalib. & ibi Gl. Hunc actum approbavi in *tract. de Matr. n. 167.*

Addo cum Pal. ex Pont. *lib. 4. de Matr. cap. 17 n. 17.* Mascardo *de Probat. conclus. 1055. num. 39.* non præsumi purgatum metum in matrimonio, quamvis in viri domum traducatur ibique habitet modico tempore, si statim repetat paternam domum præsumitur enim non sponte cohabitasse, cum fugerit, quamprimùm potuit.

\* \*  
\*



### §. X.

*De reclamante contra Professionem ex metu factam, ubi de modo eam ratificandi, & de pluribus ad professionem pertinentibus, ac de ejus occasione agitur?*

359. **N**on rarò contingit, uti mihi experientia constat, quòd post Professionem prætendatur nullitas Professionis bo aliquem defectû temporaneum e.g. legitimitatis, aut ob metum, & ex hoc capite communiter solet fieri reclamatio, cum per *num. 333.* Professio injusto

gravi metu directè extorta sit Jure Ecclesiastico irrita; quapropter hoc loco opportunè quæstio proposita agitari potest. etsi aliàs locus proprius ejus sit in tractatu de statu Religioso.

Pro fundamento dicendorum sit Trid. *Ss. 25. cap. 19. de Regular. quicumque*

Ll 3

Re-



Regularis pretendat se per vim, & me-  
 eum ingressum esse Religionem, aut eti-  
 am dicat ante aetatem debitam profes-  
 sum fuisse, aut quid simile &c. non au-  
 diatur nisi intra quinquennium tantum  
 à die professionis, & tunc non aliter,  
 nisi causas, quas pretenderit, dedu-  
 xerit coram superiore suo, & ordinario.  
 Quòd si antea habitum spontè dimiserit,  
 nullatenus ad allegandum quamcunque  
 causam admittatur: sed ad monasteri-  
 um redire cogatur, & tanquam Aposta-  
 ta puniatur: interim verò nullo privi-  
 legio Religionis suae juvetur.

In hoc decreto tres postulantur con-  
 ditiones, ut reclamans frui possit reme-  
 dio ordinario reclamationis. Prima est  
 non dimissio habitus, nisi ex causa justà;  
 hanc conditionem mitigat Sanch. lib. 7.  
 D. 37. num. 4. quod sit audiendus etiam  
 temerè dimittens, dummodò reassumat,  
 approbat Pal. tract. 16. de statu Religio-  
 so D. 2. p. 7. num. 7. Secunda, ut  
 causam nullitatis deducat coram superiore  
 locali Professionis, & Ordinario, seu  
 Episcopo, Pal. num. 6. Copulativa exi-  
 git presentiam amborum. Tertia, ut  
 causa nullitatis proponatur intra quinque  
 annos à die Professionis tantum compu-  
 putandos: ly tantum est particula ex-  
 clusiva affirmans id, quod proponit &  
 negat omnes alios casus prater expressos  
 L. ob as C. de prediis Minor.

Deinde dicit à die Professionis esse  
 computandos annos non ergo à die no-  
 titiae, aut à die sublatis impedimenti etiam  
 in illo, qui ignoravit nullitatem Profes-

sionis, aut laboravit alio impedimento,  
 Barbos. in Collectam ad cit. C. Trid.  
 num. 7. Pal. num. 5. sustinet opposi-  
 tum.

Ratio, cur non sit audiendus, post  
 quinquennium est, quod ex perseveran-  
 tia in Religione praesummat Professio;  
 etsi fuisset nulla, ratificata. Hæc pra-  
 sumptio est Juris, & de Jure: est Juris,  
 quia Jus eam induxit, seu jubet tam di-  
 urnum silentium haberi pro signo ratifi-  
 cationis: est de jure, quia super tali pra-  
 sumptione lex inducit firmum jus, & ha-  
 bet eam pro veritate exclusa omni contra-  
 riâ probatione, id est, probatio in con-  
 trarium non admittitur (quia tamen non  
 est ipsa veritas, non habet locum in re-  
 bus indubitatis) nempe directa quæ ad  
 ipsam praesumptionem enervandam ten-  
 dat; admittitur tamen indirecta, quæ  
 probatur, quòd qualitates eam praesum-  
 ptionem constituentes, ut in materia  
 presentis capacitas in profitente, non de-  
 tur. De praesumptione Juris, & de  
 jure vide fuscè Wiestner lib. 2. Decretal.  
 tit. 23. à num. 34.

360. Professo asserenti etiam cum  
 Juramento se nulliter Professum non cre-  
 ditur in foro externo, quia contra stat  
 praesumptio Juris & de Jure Sanch. cum  
 aliis lib. 7. de Matr. D. 37. num. 14.  
 Barbos num. 11.

Dices toto tempore 'Quinquennii  
 ignoravit nullitatem Professionis aut im-  
 pugnare justè impeditus eam coram Supe-  
 riore, & Ordinario non potuit. Resp.  
 Adhuc non esse audiendum, si nullitas  
 Professionis fundata sit in impedimento  
 temporaneo e. g. metu, aut defectu le-  
 git-

gitimæ ætatis jam sublato intra quinquennium, quia ut constat ex textu Trid. currit Quinquennium non à die scientiæ nullitatis, aut sublato impedimenti, sed à Die Professionis.

Si instes, illud *C. quia diversitatem* §. de concess. Præbend. & L. 1. in fin. *C. de annali except.* quod legitime impeditis tempus non currat. Resp. Cum Sanchez *num.* 19. instantiam procedere, quando tempus certum statutum est in odium negligentis; qualiter constitutio *cit. cap.* 5. fuit edita contra solos negligentes: secus dum præfigitur certum tempus in alicujus favorem, uti est præfixum à Trid. quinquennium ob favorem, & tranquillitatem Religionis, ne hæc diu turbetur ab aspirantibus liberari à Jugo ordinis.

Porro Decretum Trid. non se extendit ad casum, quo persona Religiosa laborat impedimento perpetuo (loquitur enim de metu, & ætatis defectu, utrumque est temporaneum) tunc enim audientia nequit denegari, aliis retentio ejus utpotè inhabilis foret damnosa Religioni, Sanchez *num.* 32.

361. Quid si impedimentum est temporale, at duravit toto quinquennio e.g. metus, aut defectus ætatis, estne locus Tridentino? Resp. Cum Sanchez *num.* 34. negativè, quia quod Tridentinum denegat audientiam post quinquennium, nititur præsumptione ratificatæ Professionis sed si impedimentum duravit toto Quinquennio, nequit præsummi pro tunc ratificatio Professionis, cum hæc sit impossibilis in eo, qui de jure est incapax profiteri. Hoc ergo casu fieri potest recla-

matio post Quinquennium nempe à tempore sublato impedimenti. Unde præsumptio Juris, & de jure tunc cessat.

Sed estne huic impedito etiam dandum quinquennium ad reclamandum incipiens à die evanescentis impedimenti? Respondet *cit.* Sanch. se dubium hoc nullibi legisse, censere autem non esse concedendum quinquennium, sed arbitrio viri prudentis tempus tantum, quantum sufficit ad reclamandum, & si intra id non reclamet, præsumendus est ratificasse.

362. Si quis neglexit reclamare contra suam Professionem invalidam potestne restitui in integrum adversus lapsum quinquennii? à quo hæc restitutio suppliciter petenda? Resp. Potest restitui, sed à nullo, nisi à Pontifice; quia restitutio in integrum Religiosi non reclamantis intra Quinquennium est remedium extraordinarium, vi cujus fictione juris reponitur in pristinum statum, in quo fuit ante lapsum quinquennii ad effectum agendi pro nullitate Professionis, hujusmodi autem remedii extraordinarii concessio spectat ad summum Principem, ut hic est Pontifex, nisi alicui alteri deleget hanc facultatem. Hodie autem in hoc negotio Romæ concessa est hæc facultas S. Congregationi Concilii, aut Regularium negotiis præpositorum Cardinalium, alterutra enim ex his ardiri solet, coram qua reclamans debet allegare causas, ob quas nequiverit intra Quinquennium reclamare e.g. ignorantiam, aut impedimentum aliud (ad hæc probanda non sufficit juramentum reclamantis per *num.* 360.) quæ prius cognitis saltem summarie nullitatibus deducendis,

&

& justo impedimento reclamandi intra quinquennium, restitutionem illius in integrum concedere solet, prout non semel fieri se vidiisse, testatur Barbos. num. 9.

Restitutio hæc fieri consuevit non soli minori ob ætatis fragilitatem, sed etiam majori ex clausula generali *L. 1. §. 1. ff. ex quibus causis major, si qua alia causa justa videbitur, in integrum restituam*, major Sanch. nu. 22. fusè ostendens ex Jure concedente hoc restitutionis remedium adversus sententiam, quæ transivit in rem Judicatam imò etiam contra tres sententias conformes, esto tam pro his, quàm pro illa stet præsumptio Juris, & de Jure.

Licet per *L. in causa 1b. §. 3. ff. de minorib.* non detur restitutio adversus actum, qui non valet, quia tunc habet remedium ordinarium, quo juvetur. *Et generaliter*, inquit cit. *Lex, probandum est, ubi contractus non valet, pro certo Prætores se non debere interponere*: Quod enim jure nullum est, rescindi non potest, restitutio autem est remedium rescissorium. Unde quando remedium ordinarium est pinguius extraordinario, locum non habet cit. *Lex, Wiestner de Regularibus, & transigentibus ad Religionem num. 94.* secus si extraordinarium est pinguius, prout est restitutio in integrum *Wiest. de in integrum restit. num. 11. ex L. rem. majoris 2. C. de rescindenda vendit.*

Rursus restitutio non conceditur, nisi læso *Clem. unica de In integrum Restit.* in nostro autem casu adest non modica læsio, si quis invitus obligaretur perpetuò ad statum valde sibi arduum, ad

quem summa libertas, & affectus desiderantur, cit. Sanch. circa fin.

363. Qu. 1. An ut valeat Professionis ratificatio, notitia de nullitate Professionis sit necessaria ex parte Religiosi, ac Religionis; atque ex parte utriusque novus consensus Certum est Primò, ratificari non posse ante sublatum impedimentum, quia aliter consensus Professi est nullus. Certum est secundò, ex parte Professi prærequiri scientiam de nullitate Professionis, quia ratificatio est novum votum, ad quod est necessaria intentio se noviter obligandi, sed hæc haberi non potest sine scientia nullitatis, hæc enim seclusà ratificatio procedit ex erroneo judicio judicante prima vota valuisse, consequenter talis approbativa voluntas non est libera libertate inductiva novæ obligationis, sed præcisè approbat præteritam, sed hæc fuit nulla, uti supponitur.

Excipe eum, qui habet affectum conditionatum revalidandi, si Professio fuisset nulla, ~~in hoc nulla~~, in hoc enim non desiderari notitiam determinatam de nullitate, sed sufficere, quod cognoscat esse possibilem, ac sub hac conditione ratificationem ejus intendere, merito observat Pal. p. 3. tract. 16. de statu Religiosa D. 2. p. 5. num. 3. ex Less. lib. 2. cap. 41. dub. 7. nu. 60.

Gravior difficultas est, an etiam ex parte Religionis debeat esse scientia nullitatis, ac nova acceptio. Ratio affirmandi est, quod Professio sit reciprocus contractus virtute cujus Religiosus se tradit Religionis paratus subire ejusdem onera juxta ordinis Regulam, Religio  
verò

verò acceptat traditionem, vicissimque se obligat ad alendum Religiosum, eique providendum in spiritu, sed hic contractus nequit revalidari sine novo utriusque consensu, nam contractus ab initio nullus, tractu temporis convalescere non potest: Professio autem ex quocunque capite fuerit à principio nulla, fuit utrinque nulla; demus fuisse nullam ex parte Religiosi defectu consensûs, etiam tunc fuit nulla ex parte Religionis, quia hæc nequit acceptare traditionem: quando hæc est nulla, seu non existit, si autem fuit irrita ex parte Religionis, pariter fuit etiam irrita ex parte Religiosi, hic enim non intendit se tradere Religioni, & obligare, nisi vicissim illa se obliget, sed hæc supponitur se non obligasse, ergò nec ille. Hinc consequens est etiam Religionem debere esse conscientiam nullitatis, debet enim habere voluntatem ratificandi, proinde cognitionem possibilis ratificationis, sed hæc non est possibilis sine nullitate Professionis, ergò nec voluntas ratificandi sine cognitâ nullitate.

364. In hac difficultate resolvenda discurrendum est, sicut de matrimonio carnali, circa quod, quando est irritum, sunt variæ opiniones, an requiratur ex parte utriusque conjugis novus consensus proinde etiam notitia de nullitate matrimonii.

Prima opinio distinguit inter nulliter Professum de se habilem, ut si fictè consensit, aut injusto metu compulsus; & inter Professum, cujus Professio fuit nulla ob defectum consensûs legitimi ex parte Religiosi & Religionis, ut si profitemens sit inhabilis ob inexpletum Novitiatum, aut ob defectum ætatis. In primo

R. P. Karch, Diff.

casu sufficit renovatio interna consensûs quovis tempore elapso in Religioso, quia ex parte Religionis fuit validus utpote acceptans traditionem Religiosi habilis, hicque consensus perseverat, dummodo Superior Professionem acceptans non revocet, ita Sanch. *lib. 7. de Matr. D. 37. num. 60. & 61.* Sustinet ut probabilius cum Navar. &c. sicut. *lib. 2. D. 32. a. 9.* docuit carnale matrimonium personarum habilium, sed nullum ob fictum consensum aut extortum metu injusto sufficienter revalidari per renovationem legitimi consensûs ex parte conscientie impeditenti, eò quòd consensus alterius perseveret. Ut tamen hoc loco *num. 8.* censet oppositam sententiam esse satis probabilem exigentem novum utriusque consensum, ut matrimonium convalescat, ita etiam sentit probabiliter necessarium esse etiam ex parte Religionis novum consensum, atque etiam cognitionem nullitatis.

In casu verò secundo inhabilitatis existimat probabilius cit. *D. 37. num. 63. & 64.* ut revalidetur Professio, superiorem debere fieri conscientiam nullitatis, eumque de novo consentire, ac acceptare actu externo, uti & ex parte Religiosi novam extornè traditionem; hoc ipsum expressit cit. *D. 32. num. 4.* à paritate matrimonii ob impedimentum dirimens irriti, quod non potest fieri validum absque novo utriusque consensu Sanch. hic *num. 2.* cum S. Th. *in 4. dist. 40. q. unic. a. 4. ad 6.* & plerisque Theologis, ac Canonistis subdens non sufficere, si conjuges internè consensum renovent, sine externo signo, unde *Disputatione sequente* 36. Controversiam proponens, an ut ra-

Mm

tifi-

tificetur ejusmodi matrimonium oporteat Conjugem alterum impedimenti ignarum certiorare de nullitate matrimonii, refert duas sententias; prior negat, sed cessante impedimento satis esse, si gnarus cautè curet utriusque consensum renovari, de quo ibi vide *num. 2.* hanc sententiam *num. 8.* pronunciavit parùm probabilem, nisi urgens necessitas, & periculum adsit in practicanda opposita postulante certiorationem, extrema enim necessitas sententiam parùm probabilem, dummodò non sit omninò improbabilis, efficit probabilem, prout ibidem probat.

365. Nihilominùs Sanchez cit. *D. 37. num. 64.* arbitratur esse probabile ac in praxi tutum non exigì ex parte Religionis acceptationem novam, sed satis esse, si sublato impedimento Professus conscius nullitatis ratificet. Dixi ex parte Religionis, nam sufficit, èstque necessaria nova acceptatio cum scientia nullitatis primæ Professionis ex parte Pontificis, hic autem ratificationem Professi post sublatum impedimentum factum acceptat *C. significatum de Regular & C. 1. eod. nu. in 6.* quo loco Pontifex decernit convalescere Professionem per Professi ratihabitionem, aut annuam habitùs Professorum delationem. Ecclesia ergo nomine Religionis acceptat, idque supponit *num. 359.* cit. Trid. Præsumentis ratificatam Professionem per silentium quinquennale exercendo Professorum actus, & deferendo habitum.

Argumentum contra hanc opinionem ductum à paritate matrimonii non concludit, est enim Disparitas, quòd Ecclesia, cum non possit supplere consensum alterius conjugis ignari nullitatis, nequeat

acceptare renovatum consensum conscii nullitatis. E contra Pontifex cum sit supremus omnium Religionum Generalis potest supplere consensum, ac acceptationem Religionis, ac defacto acceptavit, ut consulat paci, ac tranquillitati Religionis, ac Religiosorum.

Resp. 1. Esse probabiliùs sine distinctione adhibita à Sanch. relato *n. 364. in pr.* ex quocunque capite sit Professio irrita, ut ratificetur, postulari novum consensum Professi cum nova acceptatione ex parte Religionis propter argumentum *num. 363.* factum in ratione affirmandi, ita Pal. *p. 3. tract. 16. de Statu Religioso D. 2. p. 5. num. 2.* Ob simile argumentum in *tract. Canonist. de Matr. num. 104. & 169.* Priore loco dixi sententiam, quæ negat necessitatem certiorandi de nullitate matrimonii conjugem ignarum damnari extra casum extremæ necessitatis apud Cardenas in *Crisi ad proposit. Innocentii XI. Dissert. 2. num. 662.*

Resp. 2. Defacto probabilem esse opinionem Sanchez proximè explicatam non requiri acceptationem novam ex parte Religionis, cui opinioni quoad rem videtur consentire etiam Pal. *num. 4.* ubi Respondet ad Decretum Trid. proximè citatum, eo convinci non eodem modo scientiam de nullitate requiri ex parte Religionis, quo ex parte Professi; nam in illa non requiritur determinata scientia nullitatis, quia consensus illius præstatur, quoties Professus ratificaverit, hoc ipsum autem concedit Sanchez docens nomine Religionis acceptare Pontificem. Pariformiter sentit Wiestn. *de Regul. & transiensib. & 6. num. 97.*

366. Habétne locum ratificatio Professionis tacitæ etiam in Professis Societatis JESU, Ratio negandi, quod in Societate non detur tacita Professio, seu incorporatio, nam in ea ad Professionem essentialiter requiritur illam scripto publicè legi *p. 5. constit. cap. 3.* cit. Pal. *p. 1. num. 10.* Resp. Affirmativè cum Pal. *p. 6.* ex Soarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. Lib. 3. cap. 8. à num. 5.* quia jura citata proximè de ratificatione Professionis tacitæ non excipiunt Societatem. Ratio allata negandi convincit, quod in Societate non detur prima Professio tacita, secùs quòd prima Professio invalida seu incorporatio non valeat reparari tacitè, & quidem eo modo, quo in aliis ordinibus per annualem gestatione habitus Professorum, horumque exercitia. At in Scholasticis, cum post vota biennialia nec gestent habitum à Novitiis distinctum, nec actus proprios Novitiis non communes habeant, neque sit tempus determinatum ad vota, cum differri possint *Exam. Gen. cap. 1. num. 2.* non apparet locus tacitæ ratificationis, Wiestner *de Regular. & transeunt. num. 8.* ex Pal. *p. 1. num. 10.* Soarez *à num. 3.*

An ad revalidandam Professionem Novitiatus debeat repeti? De hoc resolvit clarè, & distinctè Sanch. sæpe cit. *D. 37. à num. 45.* ubi & certum præmittit non esse repetendum quoties novitiatus fuit validus: at si fuit irritus, ut probabiliorem amplectitur opinionem, quæ negat necessitatem repetitionis, etsi fuerit Professio irrita defectu ætatis, ut si sit emissã ante annum 16. completum, aut ante expletum integrum annum novitia-

tus, sed sufficit professionem ratificari completo tempore, quòd deerat illi anno, ita Sanch. *num. 49. & 50.* quem quoad omnia sequitur Pal. *p. 5. num. 7.*

367. Qu. 2. An is, qui certus est se non esse Professum, nec ratificasse Professionem, si nullitatem Professionis moraliter nequit probare, fugere possit? & an superior moraliter certus de nullitate possit illum clam dimmittere. Dixi, *qui certus est*, nam dubius debet spectare naturam dubii, ut inde inferat, pro qua parte stet possessio, an pro ipso vel pro Religione; si pro hac, nequit fugere, si pro ipso potest Pal. *p. 7. num. 8.* at Sanchez *lib. 7. D. 37. num. 12.* condemnat eum etiam in foro conscientie ad permanendum, quandiu non constat de contraria voluntate, tunc enim contra eum est præsumptio juris, quæ habetur pro veritate, donec probetur contrarium.

Sanchez *num. 11.* ad 1. ad Quæstionem simpliciter affirmat secluso scandalo, quia decretum Tridentinum nititur merâ præsumptione ratificationis, & idè in solo foro externo habetur pro præsumpto, secùs in foro conscientie, cum nec verbo id insinuet Tridentinum, sed duntaxat audientiam in foro externo. Exinde deducit, quòd remoto scandalo, sine reclamatione possit clam fugere, nec ut Apostata puniri, sed uxorem ducere, quia nullo vinculo obstringitur Religioni.

Pal. *p. 7. num. 9.* id ipsum approbat quando moraliter non potest probare nullitatem, nam probationem moraliter impossibilem non tenetur attentare. E contra si facile probari potest, negat sine

mortali posse fugere, & habitum dimittere, quia Religio est in possessione, quâ per fugam privat authoritate propriâ.

Addit tamen ut certum, quod fugiens etiam in casu isto facilis probationis, non obligetur revertere ad Monasterium, etsi citaretur sub comminatione Excommunicationis, quia citatio nitiur falsâ præsumptione ratificata Professionis.

Item notat rarò, aut nunquam ex tali fuga oriri scandalum sub obligatione vitandum, utitur enim jure suo, à quo nequit abstinere sine gravi damno suo, tum quia rarò alij summunt sine causâ justa occasionem fugiendi.

Resp. Mihi placere simpliciter opinionem Sanchezij, quod enim Pal. dicat Religionem privari Possessione, procedit de Possessione præsumpta, secus de vera; præsumptio autem cessat dum constat de opposita veritate.

Resp. ad 2. affirmativè, etsi in foro externo, seu ex officio procederet, quia dimittens talem volentem nullam facit injuriam Religioni, cum Judex sit moraliter certus, uti esse debet, Religionem nullum jus verum in eum habere, ergò potest eum ejicere clam sine scandalo, sicut Judex conscius Innocentiæ secundum allegata & probata Rei, potest illum clam sinere fugere dando illi occasionem fugiendi.

Potrà moralis certitudo de nullitate Professionis non erui potest ex asserto nudo fictè, aut aliter nulliter Professi per num. 360. sed ex circumstantijs est eruenda, Sanch. num. 14.

368. Qu. 3. An non ratificans Professionem irritam, cui negatur audientia

in foro externo post Quinquennium ob defectum probandi ignorantiam, aut justum reclamandi impedimentum, teneatur Regulam, & vota servare?

Resp. 1. Non teneri ad Regulam, nec ad vota per se loquendo, quia obligatio hæc servandi radicitur in vero voto, quale hic nullum supponitur intervenisse. Dixi per se loquendo, quia cum præsumatur esse Religiosus, ne scandalizet alios, obligatur illa in publico observare, Sanch. num. 36. Pal. p. 4. num. 1.

Resp. 2. Sive quis bonâ, sive malâ fide fuerit nulliter Professus, non tenetur Professionem ratificare, Sanch. num. 38. & seqq. Pal. num. 3. Soarez 10. 3. de Relig. lib. 7. c. 7. à num. 6. contra Navar. Ratio quia ad statum valde difficilem, & arduum nemo potest obligari, nisi à propriâ voluntate, status autem Religiosus est talis, ergo.

369. Qu. 4. An obligetur, qui sive bonâ fide, sive malâ non est Professus, nec in foro externo auditur reclamans, aut non reclamatur ob defectum probationis suæ nullitatis in Professione, nec commodam habet fugiendi occasionem absque scandalo, & periculo majoris damni, an inquam saltem talis ratificare Professionem obligetur. Ratio affirmandi, quia nemo potest, nisi verus Religiosus suffragia ferre, ali ex bonis Monasterij, dispensari, absolvere, & absolvi, ad Ordines promoveri, Prælaturam accipere, sed nisi ratificet, non est verus Religiosus ergo, nisi ratificet, nequit prænominatis frui, aliàs invalida erunt suffragia, injustè summet alimenta cum onere restituendi, nulliter dispensabitur,

nulliter absolvet & absolvetur, ad ordines quidem valide promoveri potest, at illicitè non sine gravi scelere. Ob hæc Navar. apud Sanch. *num.* 37. videtur affirmare monens Confessarium, ut cum fictè Professo prudenter se gerat, injungendo, ut vel ratificet, vel resiliat; præsertim ad alterutrum tenetur, quando culpâ Professi fuit Professio irrita.

Resp. ad Questionem etsi fidei malâ nullam fecerit Professionem, etiam talem deobligari ratificare, nec resiliare, quamdiu non offertur illi commoda occasio fugiendi in remotas partes, ubi contra scandalum vivere possit, aut etsi posset fugere, non tamen sine scandalo, & gravi sua nota. Ratio est eadem pro isto Responso, quam dedi in Responso 2. ad q. 3. ita cc. ibi DD. Non obstat culpa, si quam commisit, quia ratificatio foret pœna excessiva culpæ Sanch. *num.* 38. *in fine.* Unde in talibus Angustijs, & perplexitate constitutus potest se gerere, ac si verus esset Religiosus, quoties absque gravi nota vitare non potest, ita Pal. cit. deducens hinc sequentia.

370. Primò potest accipere alimenta cum onere hæc recompensandi suis obsequijs, si æquent, aliàs si excedant alimenta, debet habere animum satisfaciendi suo tempore, si poterit, aliàs mortaliter peccaret, Sanch. *n.* 42.

Secundò etsi ex præcepto Ecclesiastico nemo possit ordinari sine Patrimonio, aut titulo Professionis, aut Beneficij, nec sine dimissorijs legitimi Prælati attamè in hoc urgente casu hoc cessat præceptum, sicut etsi ex præcepto occultus Excommunicatus, aut Irregularis nequeat ministrare Sacramenta, deobliga-

tur tamen præcepto hoc, si absque nota gravi Ministerium vitare non potest.

Tertiò potest validè administrare Sacramenta, dispensare in votis virtute Privilegiorum alijs Religiosis concessorum, sic absoluti ac dispensati sunt verè absoluti, & dispensati ob titulum coloratum cum errore communi, seu populi per *L. Barbarius ff. de Officio Prætorum.*

Ex eodem capite si Prælaturam declinare non potuerit, omnia ejus Publica gesta sunt valida Sanch. *n.* 38.

Cæterùm omni modo debet adlaborare, ut vel ratificet Professionem, vel arripiat occasionem commodam fugiendi in partes remotas, ubi ignotus vivat, quia sola necessitas illum excusat à peccato Sanch. *num.* 41. Unde quoad suam Personam nullis uti potest Privilegijs Religionis, ut mox dicetur.

Econtra talis Religiosus nequit absolvi, nec in votis dispensari, nisi à Confessario, qui potest hæc præstare etiam sæcularibus, sæcùs ab eo, qui potest absolvere, aut dispensare cum solis Religiosis ex Sanch. *num.* 42. quia non est verus Religiosus, potestque absque nota se excusare manifestando veritatem Confessario, qui in illo foro illi credere debet, & adire Confessorem pollentem jurisdictione in sæculares. Denique dum aptè non potest subterfugere, potest suffragari in Electionibus, ac de se factæ Electioni consentire. Hæc omnia Pal. quibus ferè per omnia consentit Sanch. à *num.* 38. Less. *Lib.* 2. c. 41. *num.* 65. *vers. Notandum.* Soarez c. 2. *num.* 6. Ex his soluta manent objecta in ratione affirmandi.



Religiosus nullitatem Professionis probare tentavit, sed probare non potuit, potestne eum Religio compellere, ut ex animo ratificet? Affirmat Soarez n. 7. & 8. quia Religio Professum modo debito retinendi habet jus, sed modus debitus eum retinendi est, si votis sit adstrictus. Resp. Probabilius negativè, quia potestas solum præsumpta, non vera est in Religione respectu talis Professi, ergò verè nequit illi præcipere, cùmque in conscientia obligare, Pal. num. 4. lex enim innitens falsâ præsumptione non obligat in conscientia, de quo vide eundem p. I. tr. 3. de Legib. D. I. p. 14. num. 12.

Si dicas Professus se tradidit Religioni. Resp. Se tradidisse non ut possit compelli ad profitendum, sed ad servandam veram Professionem.

371. Qu. 5. Quis Religiosus dicatur ejectus? quis fugitivus? Tertio, an, & ob qualem culpam possit ejici? Quarto, quis incorrigibilis censendus? Resp. Ad 1. & 2. ejectus dicitur is, qui ab ordine suo non spontè recessit, sed à suo Prælato expulsus, Pirthing de Regularib. & Transseunt. num. 187. Fugitivus verò, qui à Monasterio suo absque Prælati Licentia animo ad tempus vagandi, & postea redeundi recessit; ad tempus inquam, quia si abit animo perpetuò vagandi, est Apostata.

Fugitivis accenset Trid. Sess. 24. c. 4. de Regular. eos, qui recedunt sub pretextu eundi ad Superiores suos: hoc tamen Decreto non comprehenduntur recedentes ob vexationem manifestè injustam Superioris immediati, & pro Justi-

tia accedentes mediatum C. si verò 3. de Sent. Excom.

Resp. Ad 3. primò ex verissima, ac communiore sententia apud Sanch. lib. 6. Moral. c. 9. num. 3. contra Host. Abbat. posse à Religione expelli Religiosos contumaces, & correctioni resistentes, ita S. Th. quodlib. 12. Art. fin. ex C. cum ad Monasterium 6. de statu Monach. Estque mos hic receptus passim in Religionibus ut D. Augustini, Benedicti, S. Francisci Reg. c. 13. præsertim autem in Societate JESU, vide Wiclt. de Regular. & Transseunt. n. 151.

Resp. 2. ad 3. Non esse ejiciendum ullum, nisi propter delictum excessivum, Scandalosum, & Nocivum Ordini, idque evidens ex evidentia facti, aut Rei Confessione, aut legitima probatione notorium, quia ejectio est poena publicæque gravissima, ergo poscit culpam gravissimam argumentò *Can. non afferamus 21. in fin. 24. q. 1. & C. qua sevit 2. de jis, qua à majore parte capit.*

An sufficiat delictum semel commissum? Resp. Etsi in casu speciali possit aliquando decerni ejectio, regulariter tamen debet esse repetitum, ut mox ostendam.

Resp. 3. ad 3. De jure communi nequit Regulariter expelli, nisi ob incorrigibilitatem, ad quam prærequiritur prævia monitio, ac poenitentia trina, Gl. in C. statuimus, 6. verb. *Monitionem de Sent. Excom. in 6.* atque toties relapsi emendatio sit desperata C. cum non ab homine 10. de Judicijs.

372. Quis autem censendus sit incorrigibilis. Respondet Sanch. num. 4. tria requiri, primò perseverantiam in crimi-

criminibus æque gravibus, aut gravioribus etiam dissimilibus. Secundò non desistentis post trinam monitionem. Tertiò fugam ex Decreto loco Pœnitentiæ assignato.

Verùm jure hodierno ex S. Congreg. Decreto jussu Urbani VIII. edito de Regularibus Apostatis & Ejectis apud Barbos. in *C. fin. à num. 23. de statu Monachor.* & Wiest. *num. 154.* ad effectum ejectionis nullus est incorrigibilis, *Nisi ultra ea, quæ ex Juris communis dispositione requiruntur, delinquens unius anni spatio in jejuniis, & pœnitentiis probetur in carceribus, & elapso anno nihilominus non resipuerit, sed indurato animo in sua pœnitentiâ permanserit.*

Nunc per Decretum Innocent. XII. suo nomine à S. Congreg. Trid. Editum 1. Maji 1693. de ejectis, & fugitivis restringitur annus ab Urbano integer ad incorrigibilitatem requisitus ad Menses sex tantum continuos. Ex his patet Responsio ad 4. in q. 5. propositum.

Eadem autem Congregatio apud Reiffenst. *de Regular. & Transcunt. num. 233.* potestatem incorrigibiles ejiciendi vult esse penes Generalem tantum ex assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis. Hæc de jure communi.

De jure verò quarundam Religionum peculiari possunt expelli ob alia plura crimina, idemque Jus à sede Apostolica approbatum decernit, penes quos sit expellendi potestas, tale Jus est in Societate JESU, Sanch. *num. 5.*

Tenentur Religio ejectum plenè emendatum recipere, ac restituere pri-

stino loco, & gradui? Resp. ad 1. Affirmativè, nisi ejus receptio ob causam specialem non expediat Monasterio, Less. *Lib. 2. de Just. c. 41. num. 112.*

Resp. ad 2. eos, & quidem sine nova Professione contra Navar. esse recipiendos ad pristinum locum, & gradum, in quo erant nondum ejecti, ita Sanch. *num. 33.* quia à priori obligatione Professi non erant absoluti, sed suspensi, quamdiu non recipiuntur, Wiest. *num. 158,* nisi inquit ob gravitatem delicti ad tempus, aut perpetuò ad alios deterrendos privetur.

373. Qu. ultimò. An Religio teneatur in fugitivos, & Apostatas inquirere? an quovis in loco deprehensos possit capere, ac incarcerare? & quæ pœnæ jure communi illis impositæ. Resp. ad 1. Affirmativè per expressum textum *C. fin. de Regular. & Transcuntib.* Hoc capit. esse consuetudine hodiernâ fermè abrogatum cenet Pirrhing ad hanc *Rubr. num. 193.* ex Sanch. *num. 18.* Laym. *Lib. 4. tr. 5. c. 13. n. 7.* proinde de jure naturali solum esse inquirendos, ac revocandos injustè ejectos. Quoad fugitivos verò, & Apostatas inquirendos, reducendos, ac corrigendos à Prælati ordinem serventur Regulæ & Constitutiones in ordine præscriptæ.

Reiffenstuel ad eandem *Rubr. num. 259.* adhæret Fagn. *ad cit. C. fin.* Arbitranti hanc consuetudinem esse corruptellam, eò quòd militet contra Jus divinum, vi cujus quisque pastor tenetur oves pascere, & errantes pro possibili reducere. Nec tamen necesse est, nec sufficit *annuatim* id facere, sed toties, quoties opus est, & occasio spēsque adest

inve.

inveniendi salvis Ordinis constitutionibus, in quo puncto plurimum est attendendum ad ordinis statuta.

Verum rectè refellit Pirrhing quod observantia cit. C. fin. juxta ibi Præsriptum, nempe ut annuatim fiat inquisitio, non sit Juris divini.

Addit illud certum esse, quòd prædicta Decretalis reducendi fugitivos & justè ejectos non obliget Prælatos, dum revocatio foret aliis Religiosis scandalosa,

nec si eorum correctio sit desperata, consentit Sanch. num. 19.

Resp. ad 2. De Pœnis consule-  
pum cit. Reiffenst. à num. 253. Wiest.  
à num. 147. negantem jure communi  
pœnas esse in fugitivos constitutas, nec  
teste Reiffenst. Apostata de jure antiquo  
incurrunt Excommunicationem ipso fa-  
cto, at bene speciali omnium ser-  
mè Religionum.

\*\*  
\*



## ARTICULUS VI.

An Ignorantia causet involuntarium, aut imminuat.

§. I.

*Quid & quotuplex sit ignorantia?*

374. **Q**U. I. Quid, & quotuplex sit ignorantia? Resp. ad 1. Ignorantia negativa est *carentia cognitionis, sive scientiæ debite*. Dixi *negativa*, quia errorem actualem, sive Judicium dictans licere, quod non licet, aut è contra, vocant aliqui ignorantiam positivam, quæ etiam solet dici ignorantia prævæ dispositionis, Vasq. 1. 2. D. 117. C. 1. num. 1. Hic potissimum sermo erit de negativa.

Resp. ad 2. Esse multiplicem carentiam debitiæ scientiæ; primò alia est Juris, alia facti. Ignorantia Juris est nescire legem, seu obligationem, ut si quis ignoret contractum usurarium esse

illicitum, vel Christum obligasse ad universalia mortalia confitenda &c. Ignorantia facti est nescientia ejus, quod contingit sive per se, sive per alium: si quis nescit, quòd ab ipso est factum, dicitur habere ignorantiam in facto proprio, ut si quis accedat ad scæminam ignorans esse alienam; aut si scit esse alienam, ignorat tamen esse consanguineam, aut conjugatam; prior facti sui ignorantia est circa substantiam, posterior est ignorantia facti quoad circumstantiam consanguinitatis, aut conjugii. Ignorans id, quod ab aliis fit, dicitur habere ignorantiam in facto alieno.

375. Ignorantia tum Juris, quam facti

facti est vincibilis, aut invincibilis. Vincibilis est, quæ potest deponi sine maximo labore (nam ignorantia, aut error non cessat esse invincibilis, per hoc, quod absolute possit tolli, non tamen absque maxima difficultate, seu non nisi difficillime, quia ad tantum conatum suscipiendum DEUS non obligat, Gonzalez de recto usu o. pin. Dissert. 6. num. 8.) Invicibilis est, quæ ordinariis viribus naturæ id est, naturali virtute, industriâ morali, seu humano modo, consultatione, & discursu adjunctis ordinariis viribus gratiæ deponi non potest. Dixi ordinariis viribus gratiæ. quod communiter DD. non expriment, at bene cit. Gonz. Dissert. II. num. 34. quia quando agitur de possibilitate observandi mandata, ad horum observantiam non sunt attendenda sola vires nostræ, sed ut conjunctæ adjutorio divinæ gratiæ, aliâs mandata essent simpliciter observatu impossibilia, siquidem sola vires naturæ nequeunt illa implere saltem supernaturalia.

Ex hac divisione constat, quod circa eundem actum quis possit habere scientiam, & ignorantiam invincibilem; ut si scis, quod accessus ad affinem, aut consanguineam sit contra virtutem temperantiæ, at invincibiliter ignoras eundem accessum esse contra naturalem reverentiam debitam parentibus eorumque consanguineis, & affinibus, quæ violatio reverentiæ debitæ vocatur incestus.

376. Ignorantia invicibilis vocatur antecedens, justa probabilis, involuntaria, ac inculpabilis.

Dicitur Antecedens, quia antecedit omnem actum liberum, & tanquam  
R. P. Karsh Diss.

causa se habet respectu actûs, qui ex ea fit, quatenus si ipsa abesset, actus non fieret, e. g. venator Sylvam obambulans credit in dumeto latere feram absque ullo dubio, an ibi sit homo; aut si occurrit dubitatio, diligenter inquirit veritatem, prudenter, si quod fuit dubium, deponit, jaculatur, ei occisio non imputatur, licet loco feræ mactaverit hominem. Hinc vocatur *justa, & probabilis*, quia jus tam Canonicum, quam Civile eam approbant, & ex illa operantem à culpa excusant, & idè est *inculpabilis*; *involuntaria* verò, quia à nullo actu directè, aut indirectè est volita.

E contra vincibilis dicitur consequens, quia consequitur ad actum voluntatis liberum, est enim directè, aut indirectè volita; idcirco dicitur vincibilis, quia vinci potuit, quæ propter est culpabilis, utpote contracta ex culpa: consequenter etiam est improbabilis, & injusta, quia Jus illam reprobat, atque ex illa operantem non excusat, sed accusat. V. g. dubitas, an currente septimanâ sit dies festus aliquis, aut Jejunii, nullam, aut levem adhibes diligentiam in exploranda veritate, vincibiliter ignoras festum, aut Jejunium, si quod occurrit.

377. Præter antecedentem, & consequentem datur concomitans, quæ laborat is, qui aliud facit, quam hic, & nunc putat se facere, est tamen ita dispositus actualiter, vel habitualiter, ut idem faceret, si non ignoraret; ut si occidas hostem Sclopo putans esse feram, estque ita comparatus ut etsi scires loco feræ latere hostem, adhuc occideres, hoc modo  
Nn do

do diceris habitualiter dispositus; actualiter autem eris dispositus, si habes actuale proppositum illum occidendi.

Sic operans dicitur ignoranter operari, non verò ex ignorantia, sed cum ignorantia, non enim est causa actus, aliàs non hunc concomitaretur, sed antecederet.

Quare rectè dixit Pal. p. 1. tract. 2. D. 1. p. 15. n. 2. quòd nec accuset, nec excuset, actum; sic in Exemplo allato actio occisiva, ut est occisiva hominis non est voluntaria, sed ut est occisiva feræ; hanc enim solam cognoscit; ut enim sit voluntaria, ut occisiva hominis, debet jaculatio procedere ex cognitione, quòd hic & nunc hæc actio externa tendat in hominem, at non procedit sic, cum non cognoscat hanc actionem singularem esse occisivam hominis, sed feræ. Habet quidem in sua cognitione homicidium in universum, dum actu habet affectum occidendi hominem, at non habet in cognitione, quâ cognoscat hoc opus singulare esse hominis occisionem. Hinc prior cognitio proponens homicidium in abstracto, ac in genere non dirigit ad hanc actionem; siquidem voluntarium desummitur ex cognitione singulorum, id est, tum actionis, tum circumstantiarum, cum quibus fit actus prout diximus in definitione voluntarii; sed dirigit posterior proponens solam feram, à qua nulla malitia derivatur in actionem externam, puta jaculationem; Idcirco hanc ignorantia concomitans non accusat, sed etiam non excusat nempe à malitia concomitante, quæ quidem non reddit eundem actum malum, sed operantem, quando hic cum ignorantia actualiter

proponit, quòd occideret, et si sciret esse suum inimicum, aut si haberet voluntatem actualem occidendi, quidquid videt, sive sit fera, sive hostis, ita Sanch. lib. 1. Decal. c. 16. nu. 14.

378. Ignorantia consequens, seu vincibilis dividitur in affectatam, & non affectatam: affectata est, dum quis datâ operâ, seu de industria intendit ignorare, quæ deberet scire e. g. mysteria fidei. Præcepta Dæcalogi, ut liberiùs seu sine remorsu conscientie possit peccare, id est, ne retrahatur ab actu executioni destinato, unde est in se, sive directè voluntaria: hæc æquiparatur scientiæ C. *quasitum de Pœnitentiis, & remissionib.* Mascard. *Conclus.* 880. num. 31. ex *Clem. 1. §. rigorem de Judic.* ubi affectans citationis ignorantiam habetur pro Citato.

Non affectata est, dum quis non eligit ignorare, ut fit in affectata, sed hic & nunc omittit adhibere diligentiam ad aliquid sciendum idque vel ex tædio, seu pigritia, aut ob occurrentes difficultates, & ideo hæc ignorantia non est in se, sed indirectè voluntaria, nempe in libera omissione comparandi scientiam debitam; dicta enim omisio diligentie debite est causa, cujus directa volitio est indirecta volitio ignorantie, consequenter etiam malitie operationis, quia sequitur ex ignorantia indirectè volita.

Non affectata dividitur in Crassam, seu supinam, & in non crassam, seu non supinam, ita Pal. num. 4. Sanch. num. 7. & lib. 9. de Matr. D. 32. à num. 32. ubi crassam vocat illam, quæ ex lata culpa procedit: culpa autem lata est omisio diligentie mediocris, seu communis, id est,

est, tantæ, quantam homines communiter in tali negotio adhibere solent. Si id fiat scienter, & de industria, seu animo, ut sequatur damnum, dicitur dolus apertus, sive culpa latissima, quando autem aliquid fit, aut omittitur scienter, seu cum prævisione damni secuturi, aut hujus periculi secluso præfato animo dicitur dolus præsumptus, seu culpa latior.

Etsi uterque conspiret in hanc divisionem contra Soarez *tom. 5. in 3. p. de censuris D. 4. S. 10. num. 10.* negantem dari ignorantiam mortaliter culpabilem distinctam à Crassa, & supina, nisi sit hæc major, uti est affectata, dissident tamen in explicatione hujus divisionis: nam Sanch. per crassam, & supinam intelligit, quando nulla, aut ferè nulla adhibetur diligentia ad rem sciendam, per non crassam, & non supinam intelligit, quando adhibetur diligentia major, quam ferè nulla, insufficientis tamen pro qualitate negotii, idque probat eorum Autoritate DD., qui admittunt Sacramentum Penitentia validum & informe, quando ex ignorantia etiam mortali dummodò non sit crassa, peccatum taceretur, aut sufficientia examinis prætermittitur (hi sunt Sotus, Victoria, Henriq. non reprobati à Laym. *lib. 5. tract. 6. cap. 9. num. 1.* quos probabiliter sentire fatetur Gobat *tract. 7. num. 278.*) secùs si sit crassa, & supina, id est, ut definit Sotus apud Sanch. quando ferè nulla diligentia est adhibita.

Palao verò vocat crassam, seu su-

pinam, quando nulla, non crassam, seu non supinam, quando aliqua, etsi modica diligentia sit impensa, qui *num. 2.* notat dici crassam, quia ignorans more hominis crassi, & pinguis, defes, & piger quis est in depellenda ignorantia; supinam verò, quia more hominis supinè jacentis in lecto de nulla re curantis non curat ignorantiam expellere.

Discrepantia igitur inter hos duos DD. est, quòd juxta Pal. ad crassam, & supinam requiratur negligentia summa, qualis sola est, dum nulla diligentia est adhibita, idque probat ex *L. regula 9. §. sed facti ff. de juris, & facti ignorantia*, ibi: *sed facti ignorantia ita demum cuique non nocet, si ei non summa negligentia objiciatur.* Si aliqua diligentia etsi modica ad eam vincendam adhibita est, negat appellandam esse crassam, & supinam, sed mortaliter, culpabilem, quæ tamen non sit crassa. Sanchez verò vocat mortalem ignorantiam non crassam, dum in materia gravi adhibetur major diligentia, quam ferè nulla, non tamen sufficientis pro rei gravitate. Hæc adduxisse placuit ad faciliorem intelligentiam de ignorantia vincibili loquentium DD.

Et quia oblivio, seu inadvertentia ad ea, quæ scivimus, est quædam ignorantia, sicut hæc, ita etiam illa est, vel invincibilis operantem ex illa excusans, vel vincibilis eundem accusans, Sanch.

*num. 8. Pal. num. 4. Soarez*

*S. 8. num. 5.*

\*\*

\*



## §. II.

*De modo discernendi an ignorantia sit vincibilis,  
aut invincibilis.*

379. **D**Ua Quaestiones hinc resolvendae sunt. Prima de requisitis ex parte ignorantis, ut hic dicatur invincibiliter ignorare. Secunda, quanta praemittenda sit diligentia, ut ignorantia censeatur invincibilis.

Ad primam Quaestionem Valent. 1. 2. D. 6. q. 6. p. 1. & alii putant ad ignorantiam vincibilem satis esse, te esse ex statu, aut officio obligatum advertere, etsi nec dubitationem, nec scrupulum de malitia habeas. Alii communius cum Sanch. lib. 1. Decal. cap. 16. num. 21. Vasq. Pal. p. 1. tract. 2. D. 1. p. 15. n. 5. existimant omnem Ignorantiam sive Juris, sive facti esse invicibilem, si nulla cogitatio actualis, aut expressa malitiae moralis, aut hujus periculi, aut expressum aliquod dubium vel suspicio, vel scrupulus occurrit.

Respond. Hanc opinionem esse veriolem, quia ut ignorantia sit culpabilis debet esse libera, sed quando nulla praecessit cogitatio, nequit esse libera, ut fusius ostendi num. 263. cum Vasq. in locis citatis, ubi etiam cum eodem ex S. Th. 1. 2. quaest. 14. a. 6. dixi quod prima cogitatio praebens initium consultationi, seu deliberationi, sive qua primò voluntas liberè moveri potest, sit nobis non libera sed necessaria.

380. Objicit 1. Sententia tria, primò quod praecipuum obligans ad sui executionem obliget ad sui advertentiam utpote ad medium necessarium pro executione, ergo omittens advertentiam peccat eodem peccato, quo peccat omittens praecipuum. Secundò quod secundum utrumque jus aequiparentur scire, & debere scire, *L. quod te mihi ff. de reb. creditis*, ibi, *sed etiam si aliqua justa causa sit propter quam intelligere deberes*, & *C. si culpa, de injuriis*; sed quando scis praecipuum, & omittis, peccas, ergo etiam peccas, quando debes scire. Tertiò, ignorantia facti, non juris excusat secundum communem DD. hoc autem non potest dici, nisi quia jura, non facta teneris scire, ergò qui tenetur scire, & nescit, non excusatur ab ignorantia juris, consequenter est vincibilis.

Resp. ad 1. Obligare ad sui advertentiam, supposito, quod aliqua cogitatio occurrat de praecipuo, & hujus obligatione.

Resp. ad 2. Scire, & debere scire aequiparari, quando praecedat aliqua cogitatio de malitia objecti, nunquam autem debere quem actu scire, quousque dubitet de tali obligatione.

Resp.

Resp. ad 3. Illud commune procedere quoad fori externi præsumptionem, sed nec id universaliter de quo postea pluribus, in foro verò conscientie utraque æque excusat, quando est invincibilis Pal. citatus, Sanch. *num.* 26. Vasq. 1. 2. *D.* 123. c. 2. *num.* 5.

381. Qu. 2. Ut ignorantia censenda sit invincibilis, quando occurrit aliqua cogitatio, dubitatio, suspicio, aut scrupulus circa objecti ignoratam malitiam, quanta diligentia præmittenda est ad indagandam veritatem. Sanch. *num.* 34. & 36. cum Vasq. 1. 2. *D.* 124. c. 2. n. 5. & *D.* 123. c. 2. n. 7. Negat dari posse Regulam Universalem de ignorantia sive facti, sive Juris, sed relinquendum esse prudentis arbitrio, nempe in ignorantia facti attendendum esse ad qualitatem Negotij, & occurrentes circumstantias, ex quibus judicet, quæ sit sufficiens diligentia, id est, prudens operandi modus, debet enim diligentia esse proportionata negotio, major aut minor juxta Rei ipsius qualitatem, hæc adhibita, quidquid postmodum præter intentionem accidat, id censendum est invincibiliter ignoratum. Similiter ut ignorantia Juris judicetur invincibilis, est præmittenda diligentia proportionata juxta Præcepti, officij, & personæ qualitatem, nempe tanta, quantam communiter prudentes adhibent in tali statu, aut officio; quisque enim Leges morales, sive de contractibus, sive alijs operationibus suæ personæ, & officio proprio deservientes scire debet, assumens talem statum, aut officium, aut volens quidpiam operari, si ipse ignoret, obligatur instrui

à viro docto S. Th. 1. 2. q. 76. a. 2. receptus ab omnibus.

Resp. Veram esse hanc doctrinam: proinde ignorantia (idem est de errore, aut inadvertentia seu inconsideratione) vincibilis erit, quando humano modo, id est, mediocri, seu morali diligentia cum Divino adjutorio depelli potest sive circa factum, sive circa jus; summa enim, & exacta non est necessaria, diligentia, ut ignorantia post eam remanens dicatur invincibilis, sed sufficit proportionata præcepti, statûs, officij, ac personæ qualitati, qualis est illa, qualem, prudentes commuiter in talibus Negotijs Officio, ac statu adhibere solent, Sanch. *num.* 34.

382. Quare quisque considerare debet suum statum, & officium e.g. Medici, Advocati, Judicis, Confessarij, Consiliarij, & quantam communiter in talibus Officiis prudentes adhibere solent; si tanta sit præmissa diligentia in operando, reputandum erit pro invincibiliter ignorato, quidquid postea evenit præter intentionem; major enim industria, ac prudentia moraliter est impossibilis, cit. Sanch.

Quanta autem à quovis sit adhibenda, vir prudens debet determinare spectatâ conditione actionis, qualitate operantis, ejus scientiâ aliisque circumstantijs: sic indoctus satisfacit suo muneri consulendo doctos, rusticus consulendo Parochum, at sæpe non ita vir Urbanus, doctus verò non satisfacit, nisi studendo.

Nihilominus placet Judicium P. Matth. de Moya 10. 1. *Selec.* q. 6. §. 30. *num.* 22.



Tradentis etiam virum doctum intelligentem, quando viri magni nominis diffideant, in aliqua controversia utrinque disputata, eo ipso prudenter posse iudicare, quod dubium ex eo dissidium natum moraliter sit insuperabile, proinde nullum tenere adhibere diligentiam in inquirenda ulteriore veritate, quia ad frustraneam diligentiam nemo tenetur, Sanch. *Lib. 2. de Matr. D. 41. n. 47.*

Ejusdem metus est Cardenas p. 3. *Crisis Theolog.* contra Caramuel *D. 55. num. 10. & D. 56. à num. 844.* docentis in omni opinione verè probabili dari ignorantiam invincibilem, quia, qui habet opinionem probabilem, ignorat, quæ pars, affirmativa, an negativa sit à parte Rei vera; nec potest nec tenetur id scire, sed neque tenetur se reducere ad dubium practicum, & in eo partem tutiorem eligere, quia dubium practicum sufficienter deponitur ratione verè probabili.

Exemplificat in filio, qui ex opinione probabili S. Th. non tenetur obedire Patri in contrahendo matrimonium, dum habet causam justam ad id pro suo arbitrio contrahendum contra opinionem probabilem Navarri. Vel ergò in hoc opinionum conflictu ignoramus utra ex eis sit à parte Rei, & coram DEO vera, vel id non ignoramus, sed certò scimus opinionem S. Th. esse veram? si hoc secundum, opinio S. Th. est certa, & non merè probabilis: & opinio Navarri est certò falsa, quòd nemo dicere audet. Ergo est dicendum primum, nempe quòd ignoremus quænam opinio à parte Rei sit vera, ergo in ea opinione S. Th. datur hæc ignorantia. Rursus inquirò, an hæc

ignorantia sit vincibilis, an invincibilis? Si hoc secundum dicas, habeo intentum. Si vero primum dicas, nempe illam ignorantiam repertam in S. Th. opinionem esse vincibilem, infero: Ergò talis ignorantia est necessariò vincenda per electionem partis tutioris, ergò peccat filius non eligens tutiorem partem obediendo Patri in eo casu, ergò filius peccat sequendo opinionem S. Th. sed hoc vix moderni Rigidistæ ex Thomistis admittent de suo Magistro, ergò opinio S. Th. est practicè probabilis, et si stet pro libertate filij contra Legem, ergò stat cum opinione probabili practicè contra Legem invincibilis ignorantia Card. cit. *Disp. 56. num. 489. & num. 909.* ampliat ad opinionem minus probabilem, etiam in ea dari invincibilem ignorantiam veri, cum non possit vinci, nisi per scientiam; sed non datur scientia, aliàs non esset probabilitas.

383. Qu. 3. An ignorantia, aut error ex culpabili, seu vincibili possit transire in inculpabilem, seu invincibilem: Casum proponit Sanch. cit. *c. 16. nu. 41.* & resolvit *num. 45.* e. g. quis suam negligentiam mortali non didicit spectantia ad suum officium, aut ea, quæ communiter Christianus discere obligatur, deinde quando deest copia instructoris violat præceptum v. g. non jejunando, aut Missam non audiendo, &c.

Resp. Culpam formalem solum esse considerandam, ac imputandam pro tempore, quo ignorantia adhuc suberat libertati, opus deinceps ad eam consequens non est amplius peccatum, sed effectus peccati eo modo quo opus commissum in ebrietate, ita Sanch. monens, illud peccatum præcedens negligentia cavendi

veni futuri pravissimi periculi, eò esse gravius peccatum, quò plura peccata futura in eo sunt pravissima.

Inf. 1. Cum Sanch. num. 37. rusticum, qui die Dominico interfuit divinis, inter quæ Parochus solet indicare occurrentia festa, aut jejunia, sed nuper non indixit, excusari à peccato omissionis Missæ, aut jejunij, si festum, aut jejunium ex ignorantia omisit, quia ignorantia fuit in eo invincibilis. Idem est, si non interfuit, at rogavit præsentem, an Parochus aliquid indixerit, & testati sunt, quod nihil. Extendendo ad eum, qui nec interfuit, nec interrogavit præsentem, si nihil ei occurrerit, an festa, aut jejunia aliqua incidant intra hebdomodam.

Inf. 2. Possè esse causam in se voluntariam, proinde imputabilem, si sit de genere malorum moralium, quin effectus sit imputabilis; ut enim hic ponenti causam imputeretur, non sufficit cognoscere ejus causam, sed insuper debet cognoscere saltem sub dubio causam esse illius effectus, nisi hoc saltem occurrat, invincibiliter ignoratur effectus, Sanch. num. 38. ita expressè S. Th. 1. 2. q. 76. a. 3. in Corp. excusans à Parricidio occisorem Patris, quem putavit esse hominem alium.

Hinc patet non subsistere Regulam quorundam toties quem peccare malitia effectus mali, quoties dat operam Rei illicitæ, ex qua sequitur effectus; quia etsi quis det operam Rei illicitæ, potest tamen talis actio illicita esse invincibiliter ignorata, idque constat in Exemplo relato à D. Th. in quo actio occisiva hominis est illicita, & tamen circumstantia paternitatis esse invincibiliter ignorata, & ideo malitia parricidij non imputari.

Quare dum 2. 2. q. 64. a. 8. in Corp. videtur tueri rejectam proximè Regulam, exponendus est de casu, quo occurrit aliqua cogitatio saltem dubia de causalitate ejus respectu talis effectus.

Inf. 3. Etsi plures Canonist. in C. dilectus C. Significasti. C. Joannes de Homicid. in quibus particula ista leguntur: *Et aliàs non dabit operam Rei illicitæ*, à contrario sensu inferant occasionem etiam casualem alicujus, si occidit dans operam rei illicitæ, esse irregularem, & homicidam, quibus favet S. Th. 2. 2. q. 64. a. 8. nusquam tamen in jure haberi Regulam illam, quibusdam familiarem, quam attigit S. Th. nempe cum esse irregularem, qui casu occidit etiam ignorantia invincibili, sed solum è contrario, non esse irregularem, qui ex ignorantia (nimirum invincibili) occidit, & aliàs non dabit operam Rei illicitæ: quæ verba ideò adiecit, ut assereret secundum omnes talem occisorem nec esse homicidam nec irregularem, etiam secundum eos Jurisperitos, qui dantem operam Rei illicitæ volebant reum tam homicidij, quàm irregularitatis, etsi invincibiliter ignoraret homicidium. Ita Vasq. 1. 2. D. 124. c. 2. num. 4.

384. Inf. 4. Quemvis sub mortali teneri scire spectantia an statum suum; Christianus enim tenetur addiscere pertinentia ad hominem Christianum, Judex, Advocatus, Medicus, &c. insuper ea, quæ sunt necessaria, ut debite judicet, Patrocinetur causis sine culpabili periculo, morbos curet sine damno imputabili, ita Vasq. D. 123. c. 2. num. 5. ex S. Th. 1. 2. q. 76. a. 2. ubi obligat quemvis scire


scire Mysteria Fidei, & Leges Universales contractibus aut alijs operationibus humanis deservientes, quoties aut contrahere vult, aut facere aliquod opus, quod si ignoret, debet interrogare virum doctum, à quo instruat, Sanch. *num.* 35. Ratio illationis est, quia quisque novit dari aliquas Leges spectantes ad suum statum, Valq. *num.* 6.

Hinc Manifestum est, quòd non æqualis in singulis requiratur diligentia sciendi statui necessaria, ut ignorantia reputetur invincibilis, sufficiens enim respectu unius e.g. rustici, est insufficientis respectu alterius prudentis & docti.

Omnibus tamen sive indoctis, sive doctis commune est, quòd non sit necessarium singula ad statum, ac Officium spectantia exactè scire sed sufficit notitia rerum communiter accidentium in tali statu, officio; scire enim omnia exactè vix est moraliter possibile, Sanch. *n.* 34.

Inf. 5. Si ad penetrandam alicujus Negotij veritatem non sufficit studium humanum, ut invincibilis circa illud censetur ignorantia, opus esse insuper recursum ad DEUM per orationes, penitentias, peccatorum expiationem, petendo illustrationem divinam, uti potest accidere in rebus fidei, in circumstantijs, in quibus non est copia viri docti Catholici, Sanch. *num.* 39. dans rationem, quòd studium humanum nequeat generare, nisi notitiam naturalem, qualis est insufficientis ad veritatem fidei: Unde dixi *num.* 278. ad observantiam Præceptorum supernaturalium ultra vires naturæ necessarias esse ordinarias vires gratiæ, quæ cum viribus naturæ proximè sufficiant ad potentiam proximam orandi DEUM, oratio autem impetret gratiam necessariam, quæ ignorans depellat necessitatem veritatis in Mysterijs

Fidei.



### §. III.

#### *An ignorantia antecedens invincibilis excuset à peccato.*

385. **A**ffirmativa est certissima ex omnium sententia cum S.Th. 1. 2. q. 6. a. 8. & q. 19. a. 6. ac q. 76. a. 3. in fin. Corp. contra Jansenistas (de quibus vide infra *n.* 393. omnis actus carens omni voluntario caret peccato, sed omnis actus procedens ex ignorantia antecedente invincibili caret omni voluntario, ergò omnis actus procedens ex ignorantia an-

tecedente invincibili caret peccato. Major est evidens: nec minùs clara est minor, quia aut est ignorantia invincibilis facti, aut juris; si facti, actus redditur penitus involuntarius, si juris, actus ut prohibitus, consequenter ut malus est penitus involuntarius, Sanch. *Lib.* 1. *Decal.* c. 16. *num.* 9. Idem dic de inconsideratione, seu oblivione invincibili, Sanch. cit.

cit. Ratio, quia si sit ignorantia facti siue Juris invincibilis, abest omnis cognitio de malitia objectiva actûs. Assertio amplius firmabitur *num. 393*. Ex hac assertione subsistunt sequentes sequela.

Prima est, quòd dum invincibiliter ignoratur tota malitia actûs, hic immunis est ab omni culpa, si verò ex parte cognoscitur, ex parte verò ignoretur, actus est duntaxat malus malitiâ specificâ, quæ cognoscitur, ita *S. Th. in Corp. cit. Art.* ponens exemplum in occisione hominis invincibiliter ignorati, quòd sit *Pater*, ut dixi *num. 383. vers. Inf. 2.*

Secunda est, peccata in pueritia commissa e. g. pollutionis à pueris in ætate, in qua nulla cogitatio saltem dubia occurrebat de ejus turpitudine, eisdem non imputari ad peccatum, nec teneri subijcere illa postea clavibus, quia non sunt materia capax absolutionis.

386. Tertia nullus, qui in suo officio fuit causa gravis damni ex invincibili ignorantia secuti, peccat contra Justitiam, consequenter nec contrahit debitum restituendi, hoc enim fundatur in actione damnificativa voluntariè posita. Hinc damnum secutum ex Consilio bonâ fide dato, aut ex Judicis sententia, aut ex applicata à Medico Medicina, aut ex facta à pœnitente restitutione hanc imperante Confessario, nec Consiliarius, nec Judex, nec Medicus, nec Confessarius resciscens postea damnum, tenetur illud refarcire, quando actio damnificativa processit ab illis ex ignorantia invincibili damnificationis.

Sequelam extende ad omnes causas coöperativas damni, tam positivæ sex  
*R. P. Karch. Diff.*

(*uti sunt jubens, consulens, consentiens, palpans, seu adulando, aut laudando ad damnum excitans recursus, seu furem aut hujus furta, aut instrumenta Maleficii recipiens, &c. Participans, id est, is cui aliquid de furto datur, aut consumit, quin fuerit causa facti*) quàm tres negativas, ut *mutum, non obstantem, non manifestantem*, dum quis ex officio debet impedire damnum, aut defendere damnificandum, aut proderere damnificatorem, dum posset præcaveri damnum: Ad has omnes causas sequela tertia est extendenda, quando ex ignorantia invincibili alicujus causæ ex ennumeratis sequitur damnificatio, ut si nihil prorsus illi occurrat, quòd sua actio in causis positivis, aut ommissio actionis in negativis sit contra justitiam, eo enim casu actio causarum, aut ommissio non est formaliter injusta, sed nisi sit formaliter injusta non est radix restitutionis per ea, quæ disserui in proximè edito *rr. de jure & Jusf. num. 352.* & quidem ibi per *num. 360.* ut sit radix obligationis restituendi damna illata, debet actio damnificans esse Theologicè mortalis.

387. Sequela quarta, ex eo, quòd pœnitens rudis ex verecundia omiserit confiteri aliquod mortale, non illico à Confessario esse obligandum ad repetendam totam eam Confessionem cum reliquis subsequenter usque ad præsentem, in qua victâ verecundiâ detegit omissum mortale, quia fieri potest, ut ex invincibili ignorantia credat eam Confessionem cum reliquis, in qua primâ vice ex verecundia suppressit, esse bonam, nec quòd supprimendo peccatum mortale peccet  
O O mor-

mortaliter, uti nec summendo Eucharistiam, sed si sic non est obligatio repetendi, sive illam, sive reliquas Confessiones, sed duntaxat accusandi se de verecundè omiſſis, & alijs prius non occurrentibus; si in Confessione prima, aut aliqua ex sequentibus habuit dolorem universalem, seu se extendentem ad omiſſa fuit valida, & formata, si verò dolor fuit Particularis se extendens ad sola confessà, tunc fuit Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe secundum mihi probabiliorē opinionem in *tr. de Pœnit.* sic autem confessà non est repetendi obligatio.

Hæc sequela est Gobat *Theolog. Experim. tr. 7. à nu. 275.* cujus verba do omiſſis non necessarijs. *Non sunt obligandi fideles ad iterandas Confessiones, ubi non constat evidenter (id est certò) de tali obligatione, Filliuc. Tr. 7. n. 151. & 154. non constat autem certò, quando, aut dubitatur propriè, an priores Confessiones fuerint legitime aut solum est probabile priores fuisse illegitimas:* At quando suppetit firma ratio ad credendum interveniſſe defectum substantialem, nulla autem firma ad opinandum non interveniſſe, sunt repetendæ.

Quando rudis pœnitens tibi aperit se in prioribus Confessionibus omiſſiſſe peccatum mortale, expedit, ut statim ex eo scisciteris, utrum existimârit se mortaliter delinquere subticendo illud peccatum? neganti (& quoties mihi rudes, de quibus hic loquimur negârunt) se habuisse talem, adhibe fidem, saltem si dicat: *Si scivissem me peccare mortaliter per illud silentium, certissimè non tacuissem:*

& tunc non compellas repetere Confessionem criminum, aliàs jam detectorum, sed duntaxat omiſſorum.

Quære tamen præterea, an saltem dubitârit, peccarétne mortaliter silendo? neganti rursus crede. At fatentem, se verè dubitâsse an mortaliter peccaret silendo, rursum interroga, an putârit delinqui mortaliter petendo abolutionem cum prædicto dubio? si negat, ne petas repetitionem; vere enim plurimi ignorant esse grande nefas operari cum conscientia dubia. Si asserit, mone, ut repetat omnes Confessiones, quas cum opinione à se sacrilegè obiri agnovit, secus illas, in quibus non occurrebat tunc ipsi peccatum toties sacrilegè suppressum.

Doctrinam hanc tenuisse Sanch. de eo, qui dubitat, patet ex *Lib. 1. Decal. c. 16. num. 18.* ubi ita loquitur. Hinc primò deducitur ignorantem invincibiliter esse peccatum operari cum practico honestatis objecti dubio, non peccare operando cum illo. Ut si rusticus dubitet, an die veneris liceat sibi lacticio-rum esus, & manente hoc dubio practico illa edat, ignorans tamen invincibiliter esse peccatum, cum eo dubio operari, non peccat. Tradita ex Gobat repetens descripta apud Sporer *Theolog. Sacram. p. 3. à num. 507.*

388. Difficultatem singularem movet Sanch. *num. 16.* an cum scientia malitiæ actûs externi componi possit ignorantia invincibilis de malitiæ actûs interni habentis pro objecto actû externum e. g. an invincibiliter possit existimare propositum, sive desiderium efficax fornicandi esse licitum, esto sciat fornicationem esse vetitam, proinde excusari desiderium à

peccato ratione invincibilis ignorantia. Affirmat Sanch. *num. 17. Granad. 1. 2. Contr. 6. tr. 5. D. 3. S. 2.* Probat uterque, nullus homo potest peccare, quamdiu prudenter sibi persuadet non esse peccatum id, quod facit, sed invincibiliter ignorans malitiam internæ voluntatis, prudenter sibi persuadet non esse peccatum elicere internam voluntatem, licet objectum, quod nescit, nempe actus externus habeat malitiam.

Negat Izquierdo *de DEO D. 35. num. 17.* quia fieri non potest ut voluntas toto conatu feratur in executionem actus externi, quem scit esse vetitum, & tamen sit persuasa voluntas se non peccare, nisi sequatur executio, cum etsi non sequatur, ut si absolutè impediatur, aut differatur, jam voluntas suo affectu ponit, quantum in se est. Quare malitia actus externi formaliter existens in mente operantis, ex tunc imputativè existit in ejus affectu efficaci, tanquam in causa, quia affectus extrinsecè evadit, & denominatur malus à malitia actus externi cognita, à malitia autem propria voluntatis internæ, sive affectus e. g. desiderantis externum puta fornicationem, non denominatur malus, utpote invincibiliter ignorata.

Hinc Respondet ad Argumentum Granad. & Sanch. eo evinci invincibiliter posse ignorari malitiam, quæ est propria actus interni distincta à malitia objectiva actus externi, consequenter non esse peccatum ex hoc capite; esse tamen eundem actum internum peccatum titulo malitiæ sibi non ignorat actus externi efficaciter intenti, & nondum executioni dati.

Verùm Sanch. sic solvit rationem Izquierdianam, quod actus internus ut contineat imputativè malitiam actus externi, debeat iste esse ejus objectum, seu in hunc tendere, prout novit esse peccatum, sed rudis in casu proposito non putat sibi imputari malitiam actus externi, quamdiu sistit in solo actu interno, sed duntaxat, quando exequitur actum externum, ergo nisi exequatur, etsi tendat in actum vetitum non tendit in eum eo modo, quo novit esse peccatum. Nec sequitur ex hac sententia ad peccatum requiri, ut quis supra actus internos se reflectat agnoscens illos esse peccatum, sed sufficit nòsse externi objecti malitiam, est tamen necessarium, ut cum dicta notitia non adsit prudens oppositi persuasio, qualis cum adsit in casu nostro, inde est quòd ad peccati imputabilitatem non sufficiat præcisè notitia de malitia actus externi.

Resp. Utamque sententiam esse practicè tutam, quia utriusque ratio est prudens, & solvit fundamentum oppositum.

389. Atque hinc colligis, veram esse opinionem Joan. Carden. suprà *num. 382.* productam, quod in opinionibus non solum æque, sed etiam minus probabilibus stantibus pro libertate contra legem detur ignorantia invincibilis de veritate reali, seu quantum illarum re ipsa vera sit; quæ ignorantia vinci non potest, nisi per evidentiam, sed esto opinio minus sit probabilis, ac minus tuta stans pro libertate contra legem, non habetur evidentia de veritate oppositi, cum minus probabilis habeat pro se fundamentum prudens, & solvit com-

modè rationes probabilioris, & tutioris opinionis.

Minor hæc teste Carden. 3. p. *Cris. Theolog. D. 56. à num. 474.* probari potest plusquam ducentis opinionibus S. Th. stantibus pro libertate contra Legem in conflictu opinionum. Sufficiet meminisse questionum sequentium, quæ sunt ex illo excerptæ.

Qu. 1. An homo obligetur stare promissioni internæ pro lege contra libertatem. Multi, inter quos Mol. affirmant apud Sanch. *Lib. 1. de Matr. D. 3. num. 4.* arbitrantem id esse probabile. Negat ipse *num. 5.* cum S. Th. 2. 2. q. 88. a. 1. *Corp. &c.*

Qu. 2. An pro valore matrimonii sint necessaria verba, quin sufficiant signa inter homines capaces locutionis. Pro affirmativa stant multi Jurisperiti, & quidam ex Theologis apud Th. Sanch. *lib. 2. de Matr. D. 31. num. 2.* ipse *num. 5.* cum S. Th. *in 4. D. 27. quest. 1. a. 2. questiunc. 2. ad 2. & 3.* tuetur libertatem contra Legem sufficere signa sine verbis.

Qu. 3. An matrimonium illud valeat, in quo unus dedit assensum præsentem, cui post longam moram accessit consensus alterius. Quidam apud Sanch. *D. 32. num. 2.* pro lege contra libertatem petunt utriusque conjugis consensum simultaneum. E contra alii cum S. Th. *in 4. Dist. 29. quest. unic. a. 3. questiunc. 2. ad 2.* quibus adhæret Sanch. stat pro libertate, ac valore matrimonii, etsi multò tempore postea sequatur consensus alterius.

Qu. 4. An tempore feriarum nempe adventus, & quadragesimæ careat cul-

pâ consummatio matrimonii apud Sanch. *lib. 7. D. 7. num. 21.* Doctores 26. contendunt pro lege contra libertatem, è contra hanc cit. Th. Sanch. vindicat contra legem cum S. Th. *Dist. 32. quest. unic. a. 5.* indistinctè asserente esse tunc licitum petere, & reddere debitum.

Qu. 5. Utrum Lapsus in mortale statim debeat confiteri, si adest Confessarius. Negat S. Th. apud Gonet. *Dissert. pro libertate num. 12.* Contra alios strictiores pugnantes pro lege contra libertatem, quæ etiam mihi olim placuit *in tr. de Pœnit.*

Qu. 6. An Prælatus dispensans cum subditis possit etiam secum dispensare in iisdem actionibus. Negant non pauci etiam de Romano Pontifice apud Sanch. *lib. 8. de Matr. D. 3. num. 4.* ubi censet hanc opinionem esse probabilem, ipse verò *num. 6. 8. & 9.* cum S. Th. *in 4. Dist. 2. quest. 1. a. 5. questiunc. 1. ad 3.* pugnat pro libertate adversus legem in omnibus Prælati non solum ordinariâ, sed etiam delegatâ in universum potestate pollentibus.

Qu. 7. An detur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe defectu doloris requisiti ad effectum gratiæ, ita ut homo sic confessus deobligetur postea reiterare confessionem. Opinio deobligans est S. Th. *in 4. Dist. 17. quest. 3. a. 4. questiunc. 1.* hæc opinio stat pro libertate pœnitentis contra multos apud Granad. *tom. 2. in 3. p. contr. 1. tract. 3. D. 3. §. 2.* Contententes pro Præcepto iterandi,

Vide Matth. de Moya *tom. 1. Select. tract. 1. quest. 5. §. 3. ubi 20. Con-*

Controversias contra Baron. recenset, in quibus S. Th. amplexus est minùs tutas pro libertate contra legem.

390. Objicies 1. Non est invincibilis ignorantia, dum adest modus vitandi peccatum, sed constitutus inter duas opinioniones, quarum una pugnat pro lege, altera pro libertate, habet modum vitandi peccatum, nempe eligendo partem tutiorem, ergò tunc ignorantia non est invincibilis. Secundò, non est ignorantia invincibilis conjuncta cum voluntaria voluntatis inordinatione, talis est in opinione minùs probabili pro libertate contra legem, quia bonum honestum postponitur commodo voluntatis. Tertiò, ut sit ignorantia invincibilis, & excusans à peccato, debet esse impravisa, talis non est in opinionibus utrinque probabilibus, nam inter has constitutus videt malitiam objecti esse probabilem, proinde malitia non est omnino impravisa. Quartò, juxta S. Th. p. 3. *quest. 47. a. 5. ad 3. Judai peccaverunt non solum tanquam hominis Christi, sed etiam DEI Crucifixores: & tamen Judai habuerunt duntaxat probabilem notitiam de Christi divinitate, ergo sufficit probabilis notitia de malitia objecti, ad peccati imputabilitatem, ergo cum probabili notitia de malitia nequit stare invincibilis ignorantia à peccato liberans.*

391. Resp. ad 1. Negando majorem, sic invincibiliter credens se obligari ad menciendum, ut salvet vitam proximi, habet modum vitandi peccatum nempe sequendo ductum conscientia, quin ideò cesset esse invincibilis ignorantia. Secundò, transeat major, ad mi-

norem. Resp. Præter hunc modum vitandi peccatum, dari alium situm in electione opinionis verè probabilis, ut constat in relatis ex S. Th. opinionibus minùs tutis stantibus pro libertate, aliàs Confessus sine dolore universali validè, & informiter, deberet repetere confessionem hic enim per adversarios est modus vitandi peccatum, nempe eligendo partem tutiorem, quod nequid dici, sic enim opinio S. Th. de obligans Reum confiteri esset periculosa.

Ad 2. Retorquetur, quod etiam probat contra S. Th. debere peccatorem statim post lapsum confiteri, quia bonum honestum Confessionis præsentis postponit libertati, & commodo dilationis.

Resp. 2. Nego minorem, ad probationem distingo bonum honestum obligatorium postponitur commodo voluntatis nego, non obligatorium concedo. Confessio ergo statim facta post lapsum continet bonum honestum, sed secundum S. Th. in opinione sua probabili non obligatorium.

Resp. ad 3. Eo probari etiam S. Th. opinionem deobligantem à Confessione statim faciendâ esse absurdam, nam constitutus inter eam, & oppositam videt malitiam in omissione confessionis statim faciendæ, ergo est vincibilis ignorantia de veritate reali inter opinionem S. Th. & oppositam S. Bonavent. obligantem, consequenter per hujus electionem utpote tutior pars est vincenda.

Resp. 2. ad 3. Cum Carden. *num. 1273.* Majorem procedere de ignorantia positiva, sive errònea, secùs non errònea, ac mera negativa, ut enim hæc sit invincibilis inter duas probabiles opi-



niones non sufficit, quod videatur probabilis malitia e. g. in omissione confessionis statim faciendæ, alias S. Th. opinio ab ea deobligans non esset tuta.

Resp. 3. ad 3. Ignorantia, quam quis non tenetur vincere, est invincibilis, talis est de malitia, quæ probabilis est in opinione S. Th. de quâ loquimur, cum nulla sit spes detegendæ veritatis, cui opinioni, an S. Thomæ, vel S. Bonaventuræ re ipsa competat; ubi autem est compertum erui non posse certam veritatem, cognitio probabilis de malitia nequit fundare dubium practicum de malitia, sed vertitur practicum in speculativum; quo casu operans sufficienter dirigitur rationibus directè probabilibus, quod sensisse S. Th. manifestum est ex ejus opinionibus stantibus pro libertate contra legem, Carden. *num.* 1273.

Inst. Invincibiliter ignorans equiparatur illi, cui nihil venit in mentem de periculo peccati, talis non est constitutus inter duas opiniones probabiles S. Bonavent. & S. Thomæ, ergo non ignorat invincibiliter. Resp. Majorem procedere, in quantum neuter habet de objecti malitia certitudinem, & in hoc casu negatur minor; in eo est dispar constitutus inter has opiniones, quod pro honestate omissionis confessionis statim post lapsum faciendæ habeat motivum probabile fundans prudentem assensum esse licitam omissionem.

Resp. ad 4. Judæos habuisse quidem probabilem duntaxat notitiam de Christi DEitate, consequenter etiam probabilem ejusdem ignorantiam, hæc tamen fuit vincibilis, ac culpabilis; poterant enim habere certitudinem de ea ex Christi testimonio, tot miraculis, quæ viderant, confirmato, & ideò Crucifixio Christi etiam ut DEI illis imputata est. Unde argumentum Adversariorum, prorsus non est ad rem, utpote ductum ab Ignorantia Judæorum vincibili ad invincibilem, quâ laborant Doctores utrinque in opinionibus dissidentes, habent incertitudinem de veritate humanitus insuperabilem, & ideò quævis pars prudenter operatur eligendo suam opinionem innitentem motivis probabilibus; scivir enim S. Th. quod insit probabilis malitia asserta à D. Bonav. omissioni Confessionis mox post lapsum faciendæ, quia tamen est incerta malitia incertitudine invincibili, ideò censuit peccatorem non peccare differentem confessionem in aliud tempus, ita Carden. à *num.* 1276. observans in eo peccare DD. contrarios Rigoristas, quod non distinguant inter opiniones contradictorias, in quibus nulla spes est perveniendi ad certitudinem, & inter opiniones probabiles, in quibus ex practica diligentia potest acquiri notitia moraliter certa.

\* \*  
\* \*





§. IV.

An ignorantia sit causa peccati? sitque peccatum secundum se, & quale?

392. **QU. 1.** An Ignorantia tam antecedens, quam consequens sit causa peccati. Resp. Cum S. Th. 1. 2. q. 76. a. 1. non omnem ignorantiam esse causam peccati, sed tantum eam, quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati, id est, si adesset scientiâ, qua privat, opus absolutè aut cum aliqua circumstantia nunc ignorata non fieret. Non est causa per se, seu propriâ virtute movens, sed est, causa per accidens, quatenus est remotio impedimenti, nempe Scientiæ, quæ prohiberet opus, si ad esset.

Dubitatur an S. Th. loquatur de ignorantia vincibili, vel de invincibili, vel de utraque. Cajet. apud Vasq. 1. 2. D. 117. cap. 2. num. 6. approbantem intelligit S. Th. de utraque, proinde quod sit causa per accidens actus peccati, sive actus peccati imputetur ad culpam uti sit, dum ignorantia est vincibilis, sive non imputetur ad culpam, prout non imputatur, quando ignorantia est invincibilis. Alii arbitrantur non improbabiler S. Th. loqui de ignorantia consequente, seu de vincibili, quos non reprobat Vasquez.

393. **Qu. 2.** An ignorantia vincibilis secundum se, seu in se sit pec-

catum, vel vero sit solum effectus peccati.

Esse in se peccatum affirmant multi cum S. Th. in 2. Dist. 22. quæst. 2. a. 1. Negat Vasquez D. 118. cap. 2. cum S. Th. a. 2. ut contendit Vasq. quo loco secundum Vasq. S. Doctor retractavit, quod prius docuerat, Porro negligentia sciendi, in qua consumatur malitia ignorantie secundum Vasq. non est incuria voluntatis, seu ommissio voluntatis sciendi, esto hæc sit necessaria, ut imputetur ignorantia, sed est quid extra voluntatem, non ipsa privatio scientiæ, sed ommissio diligentie, quam quis dicto, aut facto tenebatur adhibere, ut sciret, ita explicat Vasq. cap. 3. ex mente S. Th. ad 1.

Resp. Probabilius ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur, est in se materialiter mala, proinde evadit formaliter mala ab ommissione voluntatis sciendi, proinde in materia gravi est mortale peccatum non solum affectata, aut crassa, sed etiam non crassa, ut si sit adhibita major, quam ferè nulla diligentia, notabiliter tamen minor, quam exigit gravitas negotii (vide num. 378.) Ratio, quod actualis scientia eorum, quæ scire tenemur sit præcepta, ergo libera ommissio talis scientiæ est formaliter contra præceptum

ptum, consequenter peccatum: Unde sola negligentia sciendi non est peccatum eatenus enim prohibetur hæc negligentia, quatenus prohibetur ignorantia, & præcipitur scientia, sicut negligentia audiendi missam eatenus est prohibita, quatenus est prohibita omissio missæ, & præcepta auditio; ergo sicut omissio Missæ est in se peccatum, quamdiu perseverat potestas, & debitum audiendi, nam tamdiu omissio missæ perseverat non solum in esse physico, sed in esse morali, id est in ratione peccati, ita omissio scientiæ debitæ actualis tamdiu perseverat in se in esse moris, & peccati, quamdiu perseverat potestas, & debitum sciendi, hoc cessante perseverat ignorantia pure in esse physico.

Subsummo, sed si ignorantia eorum, quæ obligamur scire, est in se peccatum, consequens est, quod in materia gravi, nempe tali, quam sub mortali debemus addiscere, sit mortale peccatum, non solum dum affectamus nescire, sed etiam dum crasse omittimus adhibere diligentiam, aut notabiliter deficimus in adhibenda per *num.* 378. quia ad mortale sufficit voluntarium etiam indirectum plenum, seu perfectum, quale tamen intercedere etiam potest dum ignorantia non est crassa, notabiliter tamen deficientis à diligentia, quam exigit gravitas rei, Rhodes de peccatis *D. 2. q. 1. S. §. 1.*

394. *Qu. 3.* An ignorantia ex debito rerum sciendarum sit speciale peccatum; id est, an opponatur speciali virtuti, sive præcepto pertinente ad virtutem specialem. Disputat hanc questionem Vasq. *D. 119.* apud quem aliqui asserunt esse speciale peccatum oppositum virtuti studiositatis, hæc enim moderatur appeti-

tum, & studium, & studium Sciendi, ne quis excedat modum debitum Sciendi plura, quam oportet, aut deficiat sciendo pauciora; unde per defectum illi opponitur negligentia sciendi ea, quæ scire oportet, ut docet S. Th. 2. 2. q. 166. a. 2. ad 3. per excessum verò opponitur studiositati curiositas, quæ est immoderatum studium sciendi, studium itaque sciendi, inquit, ad hunc art. Cajet. est proxima materia studiositatis, idque expressit S. Th. a. 1. in Corp. *Studium autem*, inquit S. Th. a. 1. *est vehemens applicatio mentis, ad aliquid, mens autem non applicatur ad aliquid, nisi id cognoscendo, unde prius mens applicatur ad cognitionem, secundario ad ea, in quibus homo per cognitionem dirigatur, & ideo studium principaliter respicit cognitionem, & secundario quævis alia, ad quæ operanda directione cognitionis indigemus.* Unde studiositas principaliter respicit cognitionem, cujuscunque materiæ studium adhibeatur; virtutes autem propriè sibi attribuunt illam materiam circa quam primò versantur, ut fortitudo pericula mortis, proinde studiositatis materia propria est cognitio recta, & debita tam sensitiva quam intellectualis tam naturalis, quam supernaturalis; ita S. Th. a. 1. & 2. ubi Cajet. in primo dubio inquit, quòd studiositas per se, ac directè ordinetur in proprium habentis bonum nempe in rectitudinem appetitûs cognoscendi: postea *Vcrs.* *Ad secundum dub.* negat studiositatis proximam materiam esse cognitionem, seu scientiam, sed studium cognoscendi, seu applica-

plicationem mentis ad sciendum, applicatio autem significat actum voluntatis, hic utitur potentiâ cognoscitivâ uti oportet, videlicet quando, ubi & quantum, & in quibus oportet; curiositatis autem materia est uti potentiâ cognoscitiva modo indebito seu non ut oportet; unde cum præfata applicatio rectè cognoscendi sit actus voluntatis, studiositas est virtus moralis voluntatis, & quidem juxta S. Th. *a. 2.* est pars potentialis temperantiæ, eamque comprehendit sub modestia *quest. 160. a. 2. in Corp.*

Ex hac doctrina quidam apud Vasq. *num. 2.* videntur in peccantibus ex ignorantia agnoscere duplex peccatum unum speciale oppositum studiositati consistens in negligentia studendi, seu in defectu applicationis sciendi; alterum oppositum illi virtuti, quæ violatur ex ignorantia, & hoc peccatum est diversum pro diversitate materiæ, & virtutum, ut ignorare, quæ sunt justitiæ, pertinet hæc ignorantia ad injustitiam hæcque ignorantia in esse culpæ sita est in negligentia sciendi ea, ad quæ scienda obligat justitia, quatenus retrahit labor, qui esset impendendus in ijs sciendis. Idem est de alijs virtutibus.

395. Vasquez *cap. 2. & 3.* questionem resolvit beneficio distinctionis ignorantie duplicis, alia est practica, seu agendorum, ut si ignorentur præcepta Decalogi, Ecclesiæ, officiorum; alia speculativa, seu rerum speculabilium ad operationem, seu praxim nullatenus ordinatarum, ut ignorantia mysteriorum fidei, horum enim cognitio per se, & non propter opus exigitur. Unde et si quaedam omnino sint posita in speculatione.

R. P. Karch. Diff.

ne, si tamen deferviant aliquo modo ad operandum, ejusmodi rerum ignorantia non est peccatum distinctum ab ipso opere; ut ignorare, quæ liceant, vel prohibita sint, ignorare, utrum sit homo, aut fera id, quod apparet, ex quo nascitur homicidium; horum ac similium ignorantia reducitur ad practicam, Vasq. *cap. 3.*

Ex hac distinctione concludit *num. 3.* juncto *num. 6.* quod ignorantia practica, seu rerum agendarum non sit speciale peccatum contra virtutem studiositatis distinctum à peccato, quo violatur præceptum culpabiliter ignoratum de rebus agendis: ignorantia verò speculativa, seu in speculatione positum, ita ut non referantur ullo modo ad operationem, est speciale peccatum, idque duplex, unum contra affectum adhibendū studium necessarium sciendi ea, quæ Religio Catholica docet credenda; alterum contra affectum credendi DEO ea, quæ sufficienter proponuntur esse revelata.

Ratio de ignorantia practica est, quòd idem Præceptum rerum agendarum e.g. me obligans ad jejunandum, etiam me obligat ad sciendum tempus, quo est jejunandum; ergò negligentia sciendi non est distinctum peccatum à violatione præcepti jejunandi.

Dices dicta negligentia sciendi est opposita studiositati, hæc enim per *num. 394.* est moderatrix appetitûs sciendi, nec plura, nec pauciora quàm oportet, scire appetamus. Resp. Quòd scientia rerum agendarum pro diversitate rerum præceptorum sit diversa, idcirco affectus studiositatis non est ex fine speciali, sed diverso ac pro diversitate præceptorum.

Pp.

im-

imperat notitiam necessariam ad eorundem observantiam, vetat verò oppositam negligentiam. Ut autem esset peccatum speciale contra studiositatem deberet ex fine speciali præcipere notitiam necessariam, ac prohibere oppositam negligentiam.

Ratio de Ignorantia speculativa est, quod ea opposita sit speciali præcepto fidei, sed hoc ipso est speciale peccatum.

Cum autem duplex circa res fidei præcipiatur affectus, Vasq. *num.* 7. unus credendi mysteria agnita, & huic affectui opponitur hæresis; alter mysteria ignorata sciendi, huic opponitur ignorantia mysteriorum, quæ est peccatum specie distinctum ab hæresi seu infidelitate, opponitur enim affectui specie distin-

cto, nam potest quis esse optimè affectus mysteriorum credendis, si fuerint sufficienter proposita, & tamen esse negligens in iis sciendis contra præceptum fidei præcipiens mysteriorum scientiam. Hinc in *tract. de fide num.* 453. docui hanc ignorantiam non esse directè contra fidem, cum non sit hæresis, sed indirectè, ac reductivè: è contra ignorantia consistens, in errore voluntario intellectus indirectè opponitur fidei, estque hæresis: & idè rectè dixit Vasq. *num.* 6. circa ignorata mysteria fidei dupliciter contingere peccatum speciale, ut proximè explicatum est, atque probatum, proindè tota

Conclusio à Vasq. asserta  
subsistit,

\*\*\*



### §. V.

## *An detur ignorantia invincibilis juris divini etiam in fidelibus.*

396. **M**ulti de infidelibus veteres Theologi negant, quos refert Vasq. *1. 2. D. 120. cap. 1.* quorum aliqui sentiunt univèrsim de ignorantia non solùm mysteriorum necessariorum necessitate mediæ ad salutem, sed etiam de necessarijs necessitate præcepti, quali necessitate est etiam necessarius Baptismus, & alia Sacramenta, alij verò eum Bonavent. Adrian, Gabr. restringunt ad necessaria necessitate mediæ.

Quatuor potissimùm sunt funda-

menta hujus opinionis. Primum est axioma inter Theologos receptum. *Fa- cienti, quod in se est. DEUS non denegat gratiam, & necessaria ad salutem.*: ergò sic operanti DEUS, vel per se, vel per Prædicatores revelabit necessaria ad salutem; si verò non facit, quantum in se est, sibi, suæque culpæ imputet, quòd DEUS non revelet, horumque ignorantia, cum potuerit ab eo impediri, est culpabilis ac vincibilis.

Secundum est, quod nullus possit

sal-

salvari sine fide mysteriorum, & unicuique debeat esse possibilis salus sed hæc major non esset vera, si daretur invincibilis ignorantia Mysteriorum de Jure divino positivo credendorum, nam si salus est possibilis, & hæc sine fidei obtineri non potest, omissio fidei debet esse ei imputabilis ad peccatum, ergò ignorantia fidei, consequenter mysteriorum fidei non potest esse invincibilis.

Tertium ex illo Pauli 'ad Rom. 10. & quidem in omnem terram exiit sermo eorum; & in fines orbis terre verba eorum, quem locum multi interpretes intelligunt de Apostolis, ergò per hos omni genti prædicata sunt necessaria ad salutem, ergò nulla gens potest ea invincibiliter ignorare.

Quartum est; si posset infidelis invincibiliter ignorare necessaria ad salutem, hæc ignorantia posset dari etiam in homine adulto carente omni peccato actuali; hic, vel salvabitur, vel damnabitur, non salvabitur defectu fidei, non etiam damnabitur, quia aut damnabitur pœnâ solâ sensûs, vel pœnâ solâ damni; non solâ pœnâ damni, quia hæc solis parvulis non baptizatis est destinata; non solâ pœnâ sensûs, quia hæc non infligitur, nisi propter peccata actualia, ergò si pœnâ sensûs damnetur ignorantia credendorum non potest esse inculpabilis, seu invincibilis, sed vincibilis.

397. Resp. Cum recepta nunc ab omnibus sententia dari in infidelibus invincibilem ignorantiam mysteriorum fidei etiam eorum, quæ sunt ad salutem necessaria, probatur 1. ex Joan. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuisset, peccatum non haberent, nunc autem*

*excusationem non habent de peccato suo.* S. Aug. tract. 89. in Joann. explicat de peccato infidelitatis dicens eos, quibus nec per se nec per Apostolos, aut Ecclesiam Christus locutus est, absque culpa ignorare. Hinc S. Th. 2. 2. *quest. 10. a. 1. in Corp.* admittit in ijs, qui nihil audierunt de fide, ignorantiam invincibilem fidei, & ideò negativam infidelitatem non esse peccatum, nec eos propter eam damnari, sed propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt.

Ratio autem est; certum est etiam dari multos infideles, quibus nunquam test prædicata lex Evangelica, ut constat ex Missionarijs apud Indos, sed hi habent invincibilem ignorantiam mysteriorum fidei necessariorum ad salutem, eam enim humanis viribus depellere non possunt, quia nulla illis incidit dubitatio, aut suspicio de vera alia Religione, sed suam credunt veram, & si illis occurrat dubitatio, eam proponunt suis majoribus, quos putant peritiores, ab his in suo errore confirmantur, nec apprehendunt necessitatem recurrendi ad orandum DEUM pro illuminatione.

398. Confirmatur solutione argumentorum, quæ num. 396. sententia contraria nobis objicit. Resp. ad 1. Non negare DEUM ulli notitiam necessarium ad salutem facienti, quod est in se, is autem infidelis facit quantum est in se, qui cum auxilijs gratuitis gratiæ in entrance vel naturalis vel supernaturalis prævenientis nulli denegatæ (juxta illud Joann. *qui illuminat omnem hominem*) servat legem naturalem, hæc ad impletâ confert uberiorem notitiam necessariorum ad salutem, eamque auget, donec plene

agnoscant, credantque: si verò legem naturalem non servant, sed graviter in eam peccant, in pœnam horum peccatorum, & culpæ etiam originalis, denegat illis notitiam necessariorum ad salutem, hæc tamen ignorantia, etsi sit pœna peccati, quia infligitur propter præcedentia peccata, non tamen est peccatum, ut enim esset peccatum deberet præcedere aliqua notia obligationis, aut necessitatis sciendi mysteria aut saltem dubitatio circa obligationem, aut necessitatem sciendi, aliàs non est in potestate hominis adhibere diligentiam, vi cuius agat, aut cum DEO, aut hominibus ad acquirendam notitiam, nec ignorantia potest esse imputabilis, Vasquez *cap. 4. n. 12. Vide num. 381.*

Quomodo autè dictum axioma sit intelligendum non est hujus loci sed explicant Theologi *1. p. in tract. de Gratia. Varias expositiones vide apud Haunold. lib. 2. Scholast. Theolog. à num. 770. cum quo in tract. de Gratia num. 81. dixi sensum facere istum, quòd homini, qui cum auxilijs gratuitis naturalis gratiæ facit quantum in se est, DEUS det auxilium supernaturale ex pura misericordia, & liberalitate, ita ut honestas bonorū operum nec sit meritoria auxiliij supernaturalis, nec ad id disponat, sed conditio, cui, purificatæ DEUS infallibiliter alligavit collationem auxiliij, ita tamen ut non sit conditio sine quâ non, sed habeat se præcisè ut removens prohibens, quatenus indignitatem à peccato originali, aut etiam à personali inductam minuit in æstimatione apud DEUM, ut hic minùs absterreatur ad conferendum vocationis supernaturalis auxilium. Hoc insinuât se sufficiat.*

Ad 2. Nego minorem, ad hujus probationem ajo, cuius salutem esse possibilem, ac mysteriorum notitiam, ac fidem eatenus, quatenus si homo adjutus auxilijs gratuitis aliquando tempore servaret legem naturalem, DEUS eidem communicaret supernaturalem notitiam, & fidem mysteriorum, ut proximè dictum; inde autem non sequitur, quòd omisio fidei, ac notitia mysteriorum sit illi imputabilis in peccatum, ut proximè expolui, & ratio nostra convincit.

Ad 3. Resp. Verificari textum Apostoli, quòd nulla pars ex principalibus sit, cui non sit promulgata fides, exinde tamen non sequitur, quòd singulis sit promulgata cum constet teste Vasq. *nu. 10. de pluribus, quibus primum ante paucos annos est promulgata, de quâ prius nihil unquam audiverant ipsi, aut si eorum majores Prædicari audiverant illam, postea penitùs oblivione sepulta est.*

Ad 4. Resp. Possè dari invincibilem ignorantiam necessariorum ad salutem in homine adulto carente omni peccato actuali ad tempus, hic homo nunquam salvabitur sine fide, sed damnabitur nunquam autem damnabitur cum solo originali, proinde nec torquebitur solâ pœnâ damni; nam in hac providentia DEUS pro adultis nullum locum constituit post mortem præter Cælum, & infernum; unde ad ejusdem providentiam spectat, aut eum perducere ad veram Religionem, idque infallibiliter facit, si adultus servet ad tempus legem naturalem, aut permittere labi in peccata personalia castiganda etiam pœnâ sensûs, quæ permissio est Justissima, cum sit in potestate adulti  
effi.

efficere gratiam efficacem, si cooperaretur gratiæ sufficienti, quam DEUS illi confert prævidens eundem illi dissensurum, in cujus gratiæ collatione consistit peccati permissio.

Restat quaestio de fidelibus, an inter hos possit dari invincibilis ignorantia Mysteriorum, quæ fide explicita sunt credenda ab omnibus adultis fidelibus.

Negant multi cum S. Th. 2. 2. q. 2. a. 7. & 8. quia passim hæc à Pastoribus & Concionatoribus exponuntur, & in Ecclesia solenni ritu celebrantur, ut Mysteria Incarnat. Trinitatis, &c. Unde S. Th. ad c. 11. 1. ad Corinth. *Lectio Bonav. &c.* nullum quantumvis rudem excusant à peccato ignorantiae ignorantem aliquod eorum.

Econtra Vasq. D. 221. non dubitat non paucos rusticos Christianos absque culpâ ignorare aliqua Mysteria creditu necessaria, idque sæpe contingere arbitratur Sanch. L. 2. *Decal. c. 3. num. 20.* quia inquit sæpe contingit eos, aut nihil audivisse de necessitate, ac obligatione explicitè credendorum, aut si audiverint, nihil perceperunt, aut si perceperunt, negotijs temporalibus intenti, penitus hujus obligationis sunt obliti, aut tempore, quo capaciores erant ad addiscendum, caruerunt instructore: nunc etiam nullus illis occurrit scrupulus, aut dubitatio de obligatione talia Mysteria sciendi per *num. 379. & seqq.*

Hinc Confessarius probabiliter prælagiens pœnitentes aliquos rudes destitu-

tos esse Christianâ hæc doctrinâ, obligatur sub mortali interrogare, & quærere de peccatis communiter à pœnitente committi solitis, dum ipse sufficienter se non explicat.

Casu quo reperit ignorari ab aliquo Mysteria necessaria necessitate Medij, non potest absolvere illum, nisi instructum, si periculum mortis non urget, ut constat ex Proposit. 64. damnata ab Innocent. XI. si autem mors instet tunc Confessarius proponat ei Mysteria dicta necessaria, juvetque pœnitentem ad fidem explicitam eliciendam de jisdem Mysterijs, ac insuper excitet ad dolorem de negligentia culpabili, si quæ intervenerit in jis addiscendis. Sed quia experientiâ constat quosdam ita hebetis, obtusique esse ingenij, ut edoceri vix possint, etiam post longam instructionem, tunc Confessarius debet singulos Articulos illis proponere, ac cum illis de singulis explicitè, fidem elicere propter Autoritatem loquentis DEI; aliud enim est explicitè dictos Articulos credere, aliud explicitè scire; primum est necessarium necessitate Medij; explicitè verò scire est scire rationem reddere de jisdem, si rogetur, & hoc est solum de necessitate Præcepti, quæ scientia ratione tarditatis ingenij est illis ferè impossibilis, & ideo excusantur, secus à fide explicita fidei de de jisdem Articulis, ita singulariter Sanch. *num. 18. Junct. 21.*

& 23.



## §. VI.

*An detur invincibilis ignorantia juris naturalis,  
& excuset à peccato?*

400. **D**uo sunt in hac quaestione resolvenda. Primò, an possit jus naturale in toto, aut ex parte invincibiliter ignorari. Secundò an ignorantia invincibilis talis, si dabilis sit, excuset à peccato. Circa primum non pauci ex Theologis apud Vasq. 1. 2. D. 122. c. 1. negant, quos ex RR. sequitur Vincent. Contenson *Tom. 3. Dissertat. 6. c. 1. §. 5.*

Lex naturalis uti rectè observat Vasq. c. 2. triplicis generis veritates complectitur. Primi generis sunt notissima, & prima principia naturæ, quæ solent appellari universalissima principia moralia: *Ut bonum esse amandum, malum fugiendum, temperatè, justè, &c. vivendum.* Secundi generis sunt immediatæ Conclusiones ex primis, & per se notis præfatis principijs facile deducibiles, uti sunt præcepta Decalogi sine occurrentia novæ circumstantiæ considerata, id est, non vestita aliquâ circumstantiâ apparenter excusante. Tertij generis sunt Conclusiones mediatae, id est, magis remota à Principijs primis moralibus, & ideo sunt obscuriores præceptis Decalogi, cujusmodi sunt præcepta contra morosam delectationem in re venerea,

pluralitas uxorum, dissolutio matrimonij, quo spectant etiam præcepta Decalogi circumstantiata, seu vestita aliquibus circumstantijs apparenter excusantibus e. g. fas esse mentiri etiam cum Jramento, ob necessitatem; morti viciniam versare in alterum latum, ut citius moriatur; furtum esse licitum ad dandam Eleemosinam; pollutionem in proprio corpore non intrinsecè apparere malam stribus, &c. multò magis ad hoc tertium genus referuntur multa spectantia ad Contractus, restitutionem, &c. quæ etiam inter viros Sanctos, & Doctos sunt controversa, estò sint contra Legem naturalem.

Concordat non posse ignorari jus naturale quoad prima Principia moralia; his accensent Decalogi præcepta, quæ ex primis Principijs nullo Negotio deduci possunt; ut esse DEUM colendum, parentes honorandos; reliqua posse invincibiliter ignorari ad breve tempus putat Azor; Valent. verò etiam ad longum tempus: melius Sanch. *Lib. 1. Decal. c. 16. num. 33.* post Vasq. negat præcepta Decalogi non vestita circumstantijs apparentem excusationem præferentibus posse ignorari invincibiliter totâ vitâ. Ratio est, quòd prima Principia moralia

cum

cum suis immediatis conclusionibus, habent se ut prima Principia speculativa cum suis immediatis illationibus, sed horum speculativa veritas est omni intellectui disposito, ac non depravato evidens; ergo etiam illorum veritas practica se evidenter prodit omni intellectui, fœditasque contra Decalogum saltem post aliquod tempus pulsat animum remordendo conscientiam, nisi depravata consuetudo extinguat conscientia remorsum.

Restat decisio de veritatibus remotioribus, ac obscurioribus, quæ medietate inferuntur ex primis Principijs, præceptis Decalogi.

401. Dico 1. Jus naturale posse invincibiliter ignorari, quoad conclusiones obscuriores remotas, seu valde distantes à primis Principijs (idem dic de præceptis Decalogi circumstantiâ apparenter excusante vestitis per *num. 400.*) ita cc. Sanch. Vasq. cum plerisque Theologis post S. Th. 1. 2. q. 100. a. 1. in Corp. ubi loquens de Conclusionibus ex Principijs primis docet quædam modicâ adhibita consideratione per illa communia, & prima Principia posse approbari, vel reprobari; *Quædam vero esse, ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cuiuslibet, sed sapientum, sicut considerare Particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad solos Theologos.* Probatum ergo primò Authoritate S. Thomæ.

Probatum 2. ratione: illius juris ignorantia invincibilis dari potest, cujus

depositio non est in potestate humana cum adjutorio ordinario Spiritus S. sed juris naturalis magis remoti à primis Principijs, ac obscurioris depositio ignorantia non est in humana potestate multorum hominum cum ordinario adjutorio gratia Spiritus S. ut patet inter tot Theologos Sanctitate, ac doctrinâ conspicuos in pluribus quæstionibus ad jus naturale spectantibus, dissidentes in Materia de Contractibus Restitutione, &c. E. g. etiamnum controversitur, an grave damnum illatum ex culpâ veniali sit reparandum sub obligatione gravi; affirmant alij, alij negant; an in extrema necessitate carnis humanæ esus sit contra Jus naturæ, disceptatur pro & contra: in his & similibus casibus pars una errat contra jus naturæ, sed non errat errore vincibili, hoc enim foret admodum difficile attribuire viris, qui quantum humano modo poterant, conati sunt docere veritatem.

402. Objicies principale Fundamentum opinionis contrariae: omne præceptum observatu possibile est etiam invenibile ab eo, quem concernit, sed omnia præcepta DEI naturalia sunt observatu possible, uti definit Trident. *Ses. 6. c. 11.* ergo etiam sunt ab omnibus invenibilia; sed quod est ab omnibus invenibile, etiam est ab omnibus cognoscibile, imò in ipsa obligatione faciendi includitur obligatio quarendi, & cognoscendi. Resp. cum Tyrso Gonzalez de usu Opin. Probabil. *Dissert. 11. a num. 40.* omnia præcepta naturæ, tum universalialia, tum ex his immediatè deducta, qualia sunt præcepta Decalogi quoad ea, quæ explicitè prohibent aut præcipiunt omnibus esse nota, DEUM

DEUM omnibus communicasse notitiam illorum, aut saltem principia, ex quibus facile eorum notitia est comparabilis, quoad eas verò veritates, quæ sunt Abstrusiores non necessariò DEUS, sive per se, sive per alios communicat notitiam Legis integrè sciendæ *etiam facienti, quod est in se*, quia ad hoc saepe esset opus miraculis, aut providentiâ extraordinariâ deberet supplere defectum causarum secundarum, ad hoc autem non tenetur DEUS; hic enim potest velle, ut lex sua integrè ab omnibus sciatur, & ea, ne materialiter violetur ex ignorantia, nihilominus potest permittere, ut quis citra suam culpam careat notitiâ, hujus defectus tunc non est moralis, sed Physicus; idque explicat exemplo ignorantia facti; lex enim naturalis absolutè prohibet accessum ad non suam, & tamen potest permittere, ut quis inculpabiliter accedat ad non suam, uti accessit Jacob ad Liam credens bonâ fide esse Rachelem, defactò saepe matrimonia sunt irrita ex impedimento dirimente inculpabiliter ignorato, quo casu consumatio matrimonij est contrà jus naturæ, citra culpam contrahentium. Idem patet in Juramentis falsis bonâ fide factis.

403. Ex quo patet argumentum adversariorum contra ignorantiam invincibilem juris naturalis pati instantiam in ignorantia invincibili facti in allatis exemplis, ubi factum est circumstantia Particularis, sub qua later invincibiliter jus naturale prohibens accessum ad non suam, & invocationem Divini Testimonij ad Confirmationem falsi.

His casibus ignorantia invincibilis non impedit violationem materialem, im-

pedit tamen ne sit violatio voluntaria, seu imputabilis ad peccatum. Unde sicut et si DEUS habeat in his casibus sinceram voluntatem, ne fiant ejusmodi actus, non tamen idcirco debet uti extraordinariâ providentiâ, ac illuminare, ne incidant homines in errorem invincibilem, ita etiam hominem facientem, quod est in se non tenetur extraordinario, ac miraculoso modo dirigere, ne erret invincibiliter circa ea, quæ sunt Legis naturalis. Vide Gonfalez fufius prosequentem argumenti solutionem.

Dum lex naturalis divina præcipit, aut prohibet formaliter, & explicitè aliquid, tenetur homini communicare notitiam hujus præcepti, aut saltem dare illi Principia, quibus sit comparabilis scientia talis præcepti non tamen tenetur communicare notitiam omnium Conclusionum Particularium in eo præcepto implicitè contentarum. Hinc tamen non sequitur DEUM non sufficienter promulgasse communitati humanæ tale præceptum, sed duntaxat, quòd explicitè non contineatur, nec intimerur hic, aut ille casus in particulari, sed in universali, ac implicitè, in particulari enim ob multitudinem implicitè contentorum exprimi non poterat.

Quapropter singulariter observat Gonz. *num. 44.* dum inquiritur de aliquo, an sit intrinsecè malum, non inquiritur an detur præceptum id explicitè prohibens (si enim daretur, DEUS humanæ communitati apertè revelasset, pro ut colligitur ex definitione Legis apud S. Th. 1. 2. q. 90. a. 4. *in fin Corp. Lex est quadam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam com-*  
mini-

munitatis habet, promulgata) sed inquiratur an illud sit contra aliquod præceptum, de cujus existentia constat.

Contra dicta instatur ex D. Hieronymo quòd etiam ea, quæ expressè prohibita sunt in Decalogi Præceptis, putata sint licita apud certas nationes & Gentiles etiam enormia, & scèdissima; sic enim scribit lib. 2. *adversus Iovinianum: quid loquar de cæteris Nationibus: cum ipse adolescentulus in Gallia viderim Scotosgentem Britanicam humanis vesci carnibus, & cum per Sylvas porcorum greges, & armentorum, pecorùmque reperiant, pastorum nates, & seminarum papillas solere abscindere, & has solum ciborum delicias arbitrari? Scotorum natio uxores proprias non habet, & quasi Platonis Politiam legerit, & Catonis exemplum sectetur, nulla apud eos conjux propria est, sed, ut cuique libitum fuerit, pecorum more lascivunt. Persæ, Medi, Indi, & Ethiopes regna non modica, & Romano Imperio paria cum matribus, & aviis, cum filiabus, & nepotibus copulantur. Massagetes, & Derbices, miserimos putant, qui agrotatione moriuntur, & parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam venerint, jugulatos devorant: rectius esse ducentes, ut à se potius, quàm à vermibus comedantur.* Et post alia narrata concludit: *Pervides igitur quòd non solum*

*in esu, sed in sepulturis, & in connubiis, & in omni conversatione unaquaque gens sub ritu, & proprietatibus vitæ, & hoc eam natura legem putare quod didicit.*

Resp. Cum Gonz. num. 47. has gentes, ac Philosophos gentiles dici inexcusabiles à Paulo ad Rom. 1. Poterant enim & debebant scire esse mala, quæ credebant licita; nam ex prava peccandi consuetudine in præfatam mentis cæcitate devenerunt, ut arbitrentur vitia contra naturam esse licita: ista enim non sunt contrà jus naturale obscurum, sed expressum, ut occidere, abscindere papillas, nates, fornicari, inire matrimonium cum matre, filia &c. siquidem est jus naturale expressum à quovis facillimè deducibile ex principiis universalibus *parentes esse honorandos*, contra hoc est connubium cum matre, filia, vi enim connubij conjuges æquale jus acquirunt invicem in usum Corporis, seu in eo nullus est altero superior, proinde filia nubens parenti in usu conjugij non debet reverentiam Patri &c. ergo non obligaret eam jus naturale ad reverentiam exhibendam patri, aliunde etiam obligaret.

405. Dico 2. Ignorantia Juris naturalis invincibilis excusat à peccato formali, est nunc certa sententia contra Bajum, & Jansenij sequaces, quorum propositio contradictoria assertæ conclusioni est damnata ab Alexand. VIII. die 7. Decembris 1690. inter propositiones 31. quorum secunda ita habet: *Tametsi deat ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in statu natura lapsæ operan-*

R. P. Karch, Diff.

29

tem

*tem ex ipsa non excusat à peccato formali.*

Error iste fundatur in alio damnato in Proposit. 1. *In statu nature lapsa ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, quæ voluntarium, & liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.* In statu Innocentiæ Adamus (& nos in illo tanquam in causa) habuit libertatem non solum à coactione sed etiam à necessitate, seu libertatem indifferentiæ ad peccandum, & ad non peccandum, at post lapsum liberum Adamo, & nobis amissimus libertatem à necessitate, nihilominus peccamus culpabiliter in eo, quod nunc necessariò facimus, quia ad hoc sufficit libertas indifferentiæ in causa, seu in Adamo; cum enim laborans invincibili ignorantia juris naturalis necessariò careat notitiâ turpitudinis objecti jure tali vetiti, consequenter etiam careat voluntario, cum nihil volitum, quod non præcognitum. Verùm, quia hæc invincibilis ignorantia est pœna peccati in Adamo commissi, quam poteramus præcavere non peccando in Adamo, idcirco peccatum ex ignorantia invincibili juris naturalis patratum, est nobis sufficienter imputabile, quia est liberum libertate indifferentiæ, in causa sua, atque adeò est peccatum formale, ac non purè materiale, ut in dormientibus, & amentibus, in his enim non datur libertas à coactione juxta eos essentialiter necessaria, & sufficiens ad formale peccatum in natura lapsa, nomine autem libertatis à coactione intelligunt spontaneum, ac voluntarium

ex cognitione, ac plena deliberatione procedens, à delectatione tamen victrici ad bonum, aut malum determinatum. Contrà hos Novatores.

Probatum Conclusio; ignorantia invincibilis juris positivi divini excusat à peccato formali, ergo etiam ignorantia invincibilis juris naturalis excusat à peccato formali; consequentia probatur, quòd rationes excusantes à formali peccato in antecedente, æquè probent in consequente: & ideò generatim S. Th. 1. 2. q. 76. a. 3. de quavis ignorantia invincibili ita loquitur: *Ignorantia, quæ est causa actûs, quia causat involuntarium, de se habet, quòd excuset à peccato, eò quod voluntarium est de ratione peccati,* contra Proposit. 46. Bay. *ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium;* huic oppositum docuit Aug. *Lib. de natura & gratia c. 67. non tibi reputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis querere, quod ignoras.* Eadem consequentia probatur ratione: quòd aliis invincibiliter existimans se obligari ad mentiendum, ut salvet à morte Innocentem, peccaret necessariò; mentiendo, quia mendacium est prohibitum jure naturali, cujus ignorantia etiam invincibilis non excusat à formali peccato; non mentiendo verò, quia ageret contra conscientiam, quia dicitur esse mentiendum.

Probatum etiam primum Antecedens ex *Foann. 8. Si cæci es, (id est, ignorantes) non habetis peccatum,*

num, & cap. 15. si opera non fecissem in eis, qua nemo alius fecit, peccatum non haberent, haberent autem, si ignorantia invincibilis non excusaret à formali peccato.

Dicere cum adversarijs, quod ignorantia invincibilis sit voluntaria in voluntate Adami, cujus voluntate consensus omnes in peccatum, & isto mediante etiam in ignorantiam juris naturalis, quæ est pœna illius peccati, est perinde dicere, ac quod is, cujus oculi sunt eru-

ti in pœnam sceleris, peccet omitendo aliquid, quod usu oculorum eger, & ideo justè sit castigabilis ab hero talis omissio.

Præterea si opinioni Adversariorum standum esset, sequeretur quod nullus sine evidenti periculo peccati contra jus naturæ posset suscipere munus docendi, aut aliud officium exercendi quia moraliter non potest non aliquid fieri ignoranter in quovis officio.

\* \*



§. VII.

An detur invincibilis ignorantia facti, & Furis humani? & quomodo probanda in foro externo.

406. DE hac utraque ignorantia quid sit recale dicta à num. 374. & quomodo discerni valeat, an potuerit, aut non vinci à num. 379.

Rursus in foro poli, seu conscientia invincibilis excusat non solum circa factum, sed etiam circa jus Vasq. 1. 2. D. 123. cap. 2. num. 5. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 16. num. 26. (Haunold. tract. 5. num. 198. Consentit etiam quoad juris peritos, & quidem in jure etiam claro; oppositum tamen quoad hos esse probabilius tuetur num. 197. quem fecutus sum de jure & justitia num. 173. quoad utrumque punctum) quia forum externum ideo regulariter non admittit ignorantiam juris, pro excusatione, quia præsumit scientiam juris spectantis

ad suum statum, & munus; præsumptio autem cessat, dum de veritate constat, hæc autem in foro interno plenè constat ex pœnitentis confessione.

Ad questionem Paragraphi videtur solutio erui ex Reg. 13. l. in 6. ignorantia facti excusat, non ignorantia Furis. Certum est regulam non loqui de ignorantia affectata, nec de crassa seu supina, sive facti, sive juris, cum sit inexcusabilis Socordia ignorare ea, quæ sive ratione statûs, sive officij omnes scire debent.

Regula duas habet partes, prioris partis sensus est: Probabilis & justa alieni facti ignorantia in foro externo excusat, L. in omni 2. ff. de jur. & fact. ignor.

Q 2

Dixi

Dixi *alieni*, quia ignorantia proprii facti non excusat, nemo enim prudens præsummitur ignorare factum suum, nisi hoc sit antiquum, aut intricatum, aut ipse multis Negotijs sit implicatus, aut in extremis constitutus, Barbof. *ad hanc Reg. num. 21.*

Unde etsi quis triennio rem mobilem existimans à se emptam esse, dum re ipsa non est empta, possideat, non potest se tueri possessione triennali adversus vindicantem, *L. nunquam 3. in pr. ff. de usurpationib.* nisi agatur ex facto proprio de damno vitando, tunc enim error in facto proprio toleratur; ut si quis ex promissione erronea alteri quid solverit, detecto errore repetere indebitè solutum potest, *L. sed etsi ff. de Condi&t. indeb.* Zoës *ad hunc tit. n. 8.* Excipe, nisi autoritate Judicis factum propriū sit executioni datum, ut si quis ex errore admittit aliquem ad divisionem hæreditatis, non datur repetitio, si divisio sit Autoritate Judicis, Autoritas enim rei Judicatae habet vim hanc, ut quod per errorem de rebus nostris ad alium pervenit, repeti non possit, Wiestner *ad cit. Regul. n. 7. ex L. ingenuum 25. ff. de statu hom.*

Ab hac parte Regulæ cit. *Barbof. num. 22.* excipit facta aliena quæ quis scire ac indagare debuit, potuitque cum mediocri diligentia, uti sunt facta publica, aut valde notabilia, aut publicè denunciata; horum enim ignorantia non excusat juxta communem DD. uti nec ignorantia qualitatum electi in Electoribus ex officio suo.

Eidem parti Regulæ non contrariatur *L. pro hereditatis 2. & L. fin. C. de heredit. Act.* ubi hæres ex de-

functi contractu velut facto alieno convenitur, licet hoc ignorarit; quia cum hæres sit fictione juris una persona cum defuncto, sicut succedit in Dominium rerum omnium, ita etiam debet subire onera, ac debita defuncti expungere, *L. hereditas 62. ff. de R. J.*

407. Licet Regulariter non patrocinetur ignorantia Juris quibuscunque, excipiuntur tamen aliquæ personæ, in quibus etiam forum externum ob imbecillitatem ingenij, aut ætatis tolerat ignorantiam Juris etiam clari, ut in militibus, minorennibus, mulieribus & rusticis, tam quoad lucrum, de quo certatur, quàm quoad damnum vitandum, Vasq. *cit. vide Zoës tit. de juris & facti ignor.* negantem mulieribus, & rusticis passim subveniri per *L. quamvis ff. eod.* sed duntaxat in aliquibus casibus apud Anton. Perez *C. ad hunc tit.* Wiestner *ad cit. Reg. num. 10.* subscribit Valquezio.

Item etiam Juris peritis patrocinari ignorantiam Juris non clari, sed dubij est recepta inter Theologos, & ferè omnes Jurisperitos opinio teste Haunold. *num. 206.* quia æquiparatur errori circa factum quia fas est sequi practicè probabilem interpretationem operanti favorem.

408. Qu. 1. An ignorantia facti sufficienter probetur juramento. Resp. Affirmativè cum Pal. *p. 1. tract. 2. D. 1. p. 19. num. 7.* quia hanc jus præsummit per cit. *Reg. 13. l. in 6.* cum qua concordat *Reg. 47. eodem, præsummitur ignorantia, ubi scientia non probatur,* quam loqui de facti ignorantia observat ad eam Wiest. *num. 1.* Ex hoc respon-

responfo infert fequentia fcitu utilia ex Mafcard. *Concluf.* 882. à. *num.* 3.

Primò, non folvens de Mercibus Vectigal non cadit in commiffum jurans fe nesciviffe effe id impositum.

Secundo, etiam non incurrit commiffum hæres non folvens Canonem Bienio Emphytevticum, fi juret nescientiam, quòd fit res Emphytevtica.

Tertiò, fundi Dominus fi recipit Canonem ab Emphytevtica, poftquam hic incidit in commiffum ex imperfoluto Canone, cenfetur remiffiffe caducitatem nifi jurejurando prober fe ignoraffe, quòd non folvens incidit in commiffum.

Quartò, procurator jurejurando fufficienter probat ignorantiam, nifi à Domino habuerit mandatum speciale.

Quintò, fufficienter fe purgat recipiens domo hæreticum (idem dic de alijs receptis malefactoribus ignoratis) fi juret fe ignoraffe effe talem, cum enim fit factum alienum, & occultum facile præfummitur ejus ignorantia.

Excipit Pal. *num.* 8. *in fin.* ex Menoch. factum cujus fcientiam jus præfummit, ut fi fit publicum, vel in præfentia tua factum, tunc enim fufficienter non probatur juramento, fed eft alleganda, & probanda caufa ignorantia. De hoc vide Menoch. *Lib.* 6. *Præfumpt.* 23. & 24.

409. Partis fecundæ *Reg.* 13. relatæ *num.* 406. fcnfus eft, quod ignorantia Legis, aut Canonum, vel Receptæ confuetudinis non excuset exceptis certis perfonis, aut fit ignorantia Juris ambigui per *num.* 407. aut agatur de damno rei fuæ amittendæ, quoad hoc

enim non obest ignorantia Juris, *L. Juris* 7. ff. de *Jure & Fact. ignor.* & *L. error* ff. *cod.* at benè obest ignorantia juris quoad acquirendum per cit. *L. Juris* Wiest. *num.* 9. dans Regulæ rationem, quod Leges ab omnibus intelligi, & fciri debent per *L. Leges* C. de *Legib.*

Non obstat C. *fin. de Constitut. in 6.* vi cujus Ordinariorum Sententijs per statuta latis ignorantes non ligantur, nam hic fermo eft de Sententijs cenfurarum, quæ non incuruntur, nifi à contumacibus, & contemnentibus C. *Sacro* 48. de *Sent. Excom.* & C. *ex parte* 23. de *V. S.* requirente monitionem, & notitiam prohibitionis sub cenfura facta.

410. Qu. 2. An in foro externo poffit quis fe tueri allegando juris ignorantiam, fi hoc probare poteft, & quomodo ea valeat probari. *Resp.* ad 1. Poffe allegari, & probari, Pal. *num.* 2. ex certa fententia cum Abb. in C. *cognofcentes de Constitut.* *num.* 9. Ratio quia fcientia juris non eft nobis à natura infta, fed comparanda eft diligenti curâ, ac aliorum disciplinâ, quæ poffunt multifariam impediri, fed fi fic, poteft rationabiliter ignorantia allegari, & probari.

Eft quidem de jure præfumptio pro fcientia, & idèò alleganti ignorantiam incumbit onus hanc probandi.

Si dicas, quod allegans ignorantiam juris alleget culpam fuam latam, hanc enim committit ignarus juris difpofitionis, quam omnes fcire debent. *Resp.* Negando affumptum, quia non allegat vincibilem, fed invincibilem ignorantiam, quæ elidit culpam latam.



Nec verum est, quod pro scientia legis sit præsumptio Juris, & de Jure, quia, ut dictum, non necessariò omnibus inest, sed solùm probabiliter, & in hoc sita est præsumptio juris, nempe in quæstione præsentis pro scientia: nam Alciatus apud Pal. num. 3. definit præsumptionem Juris, quod sit *probabilis conjectura ex certo signo proveniens, quæ alio non adducto pro veritate habetur.*

Idcirco Episcopus allegans ignorantiam vacantis Beneficij repellitur, quia cum debeat esse Diæcesi præsens præsumitur scire omnia ad suum munus pertinentia *C. qui & humanis 12. q. 2.* Hinc quò vehementior est pro scientia præsumptio, eò opus est efficaciore probatione, quæ elidat ignorantiam Juris.

411. Resp. ad 2. Dupliciter probari potest ignorantia nempe conjecturis, & juramento. Prior probandi modus suggeritur in *C. cum in tua qui matrimonium accusare possunt junct. Gloss.* in quo insinuantur sequentes conjuncturæ, ut si probeat absentiam suam tempore promulgationis, aut ægritudinem, aut ætatem teneram, & similia; hujusmodi probatio non est plena, quia de latentibus in animo certitudo non habetur, unde relinquitur arbitrio Judicis, Pal. num. 4. ex Mascard.

Alter modus est per Juramentum, latentia enim in animo, inter quæ est ignorantia, solo ignorantis testimonio probari posse videntur. Verum concordant universi hanc probationem non sufficere, si alia via præter juramentum probari valet, quia Juramentum subrogatur

in defectum alterius probationis. Item non sufficit, si probanda sit non sola ignorantia, sed etiam hujus Justitia, sic allegans ignorantiam ex causa absentia, aut infirmitatis, debet legitime probare absentiam, & infirmitatem, quia actus isti justificantes ignorantiam cum obijciantur sensibus, debent liquidari alijs testimonijs.

Similiter Juramentum non sufficit, dum est vehemens præsumptio juris ex publica fama aut facti notoritate, unde allegans ignorasse se, quod antecessor vitiosè possederit, non est audiendus, dum est publicè nota vitiosa possessio, etsi se offerat ad juramentum, Sanch. cit. in fin. Pal. num. 5.

Unde videtur inferri, quod non sufficienter probetur Juramento ignorantia legis publicè promulgatæ saltem post lapsum duorum mensium, quia contra ignorantem semper est juris præsumptio de scientia Legis promulgatæ. Ex opposito stat, quòd nemo sit præsumendus esse ita immemor suæ salutis, ut vellet pejerare: tum quia latentium in animo non est probatio alia dabilis. Resp. Pal. cit. utramque opinionem esse probabilem, probabiliorem tamen priorem, quæ etiam est citati Sanch.

412. Ex ignorantia facti, & juris de qua in *Reg. 13.* exposita hucusque à n. 406. deduci possunt plura de fide bona, & mala ex Sanch. *Lib. 2. Decal. c. 23. à num. 43. & à 160.* Fides bona est, est iudicium, quo quis probabiliter existimat aliquid esse suum, aut illum à quo accipit habuisse jus id distrahendi (hæc est fides vera positivè bona) aut non esse alienum; & hæc est fides negativè bona.

Ad

Ad inchoandam præscriptionem requiritur fides positivè bona ad continuandam autem sufficit negativè bona, ut probavi *de Jure & Jusf. num. 172.* cum *Lug. de Fur. & Jusf. D. 7. nu. 17.* Fides mala vera est scientia, aut credulitas, qua putat rem esse alienam, aut non judicat esse suam, aut culpabiliter utrumque ignorat ignorantia mortaliter mala. Utraque est bona aut mala Theologicè, aut Juridicè de quo consule *cit. tr. de Jure num. 171.*

Loquendo speculativè inter fidem bonam, & malam datur medium; dubius enim speculativè seu inharens in æquilibrio, quin ulli parti assentiat, caret fide tum bonâ, tum malâ, neutra potest stare sine positivo judicio: at practicè in dubio alterutra intervenit; bona, si benè captam possessionem continuet post superveniens id dubium; mala autem, si possessionem dubium præcedat *Sanch. num. 181.* sive id sit practicum, sive speculativum, nam à neutro potest inchoari possessio ad præscribendum, de quo consule *cit. tr. de Jure n. 174.* ubi nego possessionem interrumpi per superveniens dubium speculativum, et si nequeat deponi ex principiis directis, interrumpi verò per practicum, id est tale, vi cujus intellectus circa possessionem rei cum suis circumstantiis particularibus sumptam hæsitat, an hîc & nunc licitè possit continuari, de qua dubitatur an sit sua.

Tam bona, quàm mala fides non est quid Juris, sed facti *Sanch. nu. 159.* quia non dependet ex Juris præscripto, sed ex propria conscientia cujusvis, jus enim nequit efficere eum esse possessorem

bonæ fidei, qui credit rem esse alienam, nec facere malæ fidei possessorem, qui prudenter, seu probabiliter judicat rem esse suam.

413. Deduco 1. Fides bona orta ex ignorantia facti præsummitur in dubio, *Sanch. num. 45.* per *Reg. 47.* relatam *n. 408.*

Deduco 2. Ex ignorantia juris, sive hoc resistat actui, sive non resistat contra *Bart. Berojum* præsummi malam fidem, utrique enim ignorantia lex resistit per *Reg. 13. à. num. 406.* cui consonat *Reg. 82. eodem: qui contra jura mercatur, bonam fidem præsummitur non habere,* *Sanch. num. 45.* sensus est apud *Wiest.* ad hanc *Reg.* qui contra notoriam Legis prohibitionem aliquid emit, id dolo, & cum peccato facere præsummitur, ut idcirco pro rei sic emptæ possessore malæ fidei veræ, si scivit prohibitionem, si verò hanc ignoravit, præsumptæ habeatur per expressum text *L. quemadmodum 7. in fin. C. de Agricol. & censitis, &c.* Unde talem mercatorem non juvat *L. merito 51. ff. pro socio, & L. dolum 6. c. de dolo,* quod bona fides semper præsummat, si mala non probetur, quia sufficienter mercantis delictum probatur ex publicâ prohibitionem Legis, cujus ignorantia non præsummitur.

Deduco 3. Ut fides bona nascatur ex ignorantia facti, hæc debet esse invincibilis, proinde excusans à culpa Theologica mortali, venialis probabilius non tollit fidem bonam, *Sanch. num. 160.* *Lug. à num. 36.* contra *Rebell.* cui opponitur *C. fin. de præscript. desinimus inquit*

inquit Innocent. III. ut nulla valeat absque bonâ fide possessio, cum generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum, qua absque peccato mortali non potest observari, ergo nisi sit mortaliter mala non impedit.

Ut autem formetur iudicium an ignorantia facti excuset à culpâ Theologica eumentem, aut aliter accipientem, observetur ex Mol. de Just. D. 723. num. 8. quod attendi debeat personæ capacitas, & an sit persona timorata, in tali enim præsumenda non est ignorantia crassa, sed potius invincibilis propter inadvertentiam, aut subtilitatem juris; Econtrâ crassa in persona non timorata, nisi nimia ruditas Judicis arbitrio eam excuset à culpa.

414. Deduco 4. Ex ignorantia Juris naturalis non præsummi bonam fidem, ut si quis sciens rem esse furtivam, ignoret autem sibi interdictam ejus emptionem, præsummitur enim ignorantia crassa Sanch. num. 161. ex omnibus DD.

Deduco 5. Non solum in rustico, muliere, minore &c. sed etiam in alijs ignorantiam Juris humani etiam clari invincibilem generare fidem bonam ad fructus ex re aliena acquirendos, ita Sanch. num. 163. cum innumeris Jurisconsultis, quia nullum jus decedit quod bona fides excludatur invincibili ignorantia humani juris, sed potius oppositum exprimit L. sed etsi Lege 28. §. scire ff. de petit hered. ibi: *Et non puto hunc esse pradam, qui dolere caret, etsi in jure erravit.* Conf. Jus exprimit quando ignorantiam invincibilem juris non

vult prodesse, ita statuit quoad usucapionem L. si fur 32. §. si quis id ff. de usu cap. ibi: *in jure erranti non procedat usucapio*, hic enim cum sit legis beneficium, nequit extendi ultra Legem licet ignorans careat peccato.

Deductio ampliatur 1. Ad ignorantiam Juris, sive hoc solum non assistat contractui prout non assistit, nec etiam resistit testamento minus iolemni, sive etiam resistat, ut sit in alienatione rei Ecclesiasticæ sine solemnitate Juris, quia cit. lib. 28. indistinctè errantem in jure dicit carere dolo, proinde etiam malâ fide. Textus, quibus DD. contrarii innituntur procedunt de mala fide præsumpta, in foro externo, Sanch. num. 164.

Ampliatur 2. Ad fructus tam naturales, quam industriales, Sanch. num. 166. contra Felin: & Monach. negantes de naturalibus, ac de industrialibus, si possessor ex his locupletatus est, invincibilem juris ignorantiam excusare, sicut non excusat in usucapione. Verum non est paritas ab usucapione uti liquet ex deductione quinta.

Qui pleniorum desiderat notitiam de fructibus, sive industrialibus, sive naturalibus durante bonâ fide perceptis, an efficiatur possessori bonæ fidei, adeat cit. Sanch. qui à. num. 62. ad hanc questionem sex refert sententias cum suis fundamentis ipse num. 68. adheret sextæ docenti, quod possessor bonæ fidei etiam titulo destitutus fructus industriales faciat suos, naturales verò non sine titulo, horum restitutioni non est obnoxius, si exinde nihil est factus locupletior juxta generalem regulam universis bonæ fidei

fidei possessoribus communem Idem  
*num. 75.*

Idem *num. 76.* movet gravissimam  
quæstionem de fructibus industrialibus  
perceptis ex re aliena bonâ fide consum-  
ptis, an sit obligatio eos restituendi,  
quantum ad id, in quo est effectus ditior.  
Aliqui negant agentes eâ consumptione

acquiri irrevocabile horum fructuum do-  
minium. Horum opinionem fatetur ef-  
se valde probabilem, probabiliorem verò  
attento jure communi obligantem ad re-  
stitutionem.

Tandem *num. 96.* diluit argumen-  
ta quinque aliarum opinionum à *num. 62.*  
adductarum.



S. VIII.

*An ignorans Legem, aut poenam impositam à Lege  
incurrat poenam.*

415. **C**ertum est, quod post suffici-  
entem Legis promulgationem  
lex obliget etiam invincibiliter eam igno-  
rantes, nihil enim tunc illi deest quoad  
vim obligandi, hæc enim provenit ex  
ipsa legis natura, non à notitia subditi,  
quæ solum est conditio legem applicans,  
ut hic, & nunc in actu secundo obligare  
possit lex, excusantur tamen à culpa, &  
pœna violationis, non tamē ab aliis effe-  
ctibus Legis. Sic Decretum Trid. de  
matrimonio non contrahendo sine Paro-  
cho, & testibus ubi est promulgatum,  
obligat etiam invincibiliter ignorantes;  
id contrahentes sine præsentia Parochi  
non peccant, nec subijciuntur pœnis,  
decretum tamen operatur nullitatem ma-  
trimonij; Quod tamen valeret in loco,  
ubi Decretum non obligat, valeretque  
semper, si illud non obligaret ignoran-  
tes. Quare rectè observat Sanch. *lib. 9.*  
*de Matr. D. 32. num. 2.* esse hæc duo,  
*P. R. Karch, Diss.*

non nomine, sed re diversa: Lex non  
obligat ignorantes, lex obligat ignoran-  
tes; excusantur tamen à culpa, & pœna,  
ut exemplificatum est.

Sermo est de pœnis Ecclesiasticis le-  
ge Canonicâ impositis, quas certum est  
non incurri, per legis ejusmodi invin-  
cibiliter ignoratæ violationem, dum hæc  
violatio non est aliâ Lege, nempe divinâ  
positivâ aut naturali prohibita; quia ubi  
nulla est culpa, ibi etiam nulla est pœna  
per R. I. 23. in 6. *sine culpa, nisi sub-  
sit causa, non est aliquis puniendus.*

Exceptio significata verbis *nisi sub-  
sit causa*, indicat aliquando etiam Inno-  
centes puniri: verum tunc non est pro-  
priè pœna, sed pœnalitas, sic sine cul-  
pa illegitimi arcantur ab ordinibus, ac  
beneficijs; ab alio corruptam ignarus  
ducens evadit bigamus per matrimonij  
consummationem, *Can. precipimus*

10. *dist. 34.* Ministri iustitiæ per sententiam mortis aut mutilationis, fiunt irregulares; amittit ipso jure beneficium ad id per simoniam ipso ignorante ab alio commissam promotus, *c. nobis 27. de Simon.*

416. Difficultas ergo est, dum actus, cui lex positiva humana imponit pœnam, est vetitus anteriore lege divinâ, aut naturali, & commissus cum scientia legis divinæ, aut naturalis sine scientia legis pœnam imponentis, aut si est commissus cum notitia legis ignoratâ pœna, an nihilominus transgressor legis divinæ, vel naturalis, aut etiam legis punientis, incurrat pœnam. Discutit hanc difficultatem eruditè, ac fusè more solito Th. Sanch. cit. à *num. 7.* post præmissa tria fundamenta.

Dico 1. Violans legem divinam aut naturalem cum ignorantia Legis Ecclesiasticæ pœnam infligentis e. g. Excommunicationem, aliâve censuram, aut irregularitatem ex delicto, aut quamvis aliam pœnam strictè talem, qualis est omnis vindicativa culpæ, non incurrit, ita Sanch. *num. 9. Pal. p. 1. tract. 2. D. 1. p. 17. num. 2.* Contra plures teste Sanch. probabiliter sustinentes incurri pœnam etiam Excommunicationis, consequenter à fortiori, reliquas censuras, ac pœnas utpote minùs graves Excommunicatione. Probatur quantitas pœnæ est commensuranda quantitati delicti, *c. felices vers. Illud autem de pœnis in 6. ibi: Judex pœnam metiatur ex culpa: & C. fin. de his, que fiunt à majore parte capituli, ibi: nec pœna sit ulterius protrahenda, quàm delictum fuerit.* Sed in casu Conclusionis igno-

rans est reus solius culpæ contra Jus divinum, aut naturale, & nullo modo est reus culpæ contra jus humanum prohibens culpam sub pœna Excommunicationis, aut pœnæ alterius, ergo etiam reus est solius pœnæ, quam infligit jus divinum, aut naturale, secùs pœnæ, quam imponit jus humanum. Conf. percussor Clerici sciens non solo jure divino, & naturali, sed etiam Ecclesiastico sub censura esse prohibitam percussorem graviùs peccat, quàm ignarus juris humani, sed prior incurrit censuram, ergo secundus utpote minùs reus eam non incurrit, ne inæqualia delicta puniantur, æquali pœnâ.

417. Probatur 2. Specialiter de censuris, quæ non incurruntur sine monitione Canonica, *C. constitutionem 9. de Sent. Excom. in 6.* imò non sine contumacia ut colligitur ex illo Math. 18. *si Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus, & publicanus,* quo loco Christus concessit potestatem excommunicandi, sed ignorans Legem prohibentem sub censura non est monitus, nec contumax, ergo eam non incurrit.

Nomine monitionis Canonice intelligitur tria, aut una pro omnibus, observando in hac aliquorum dierum competentia intervalla, ita cit. *C. ubi Gloss. Verb. Una pro omnibus,* sic exponit. Dicit ergo Judex interdum: *Monemus te pro prima: quâ finita monet pro secunda, quâ finita monet pro tertiâ &c. interdum unâ monitione facit tres: monemus te, quod usque ad diem talem pro primo; talem pro secundo;*

do; talem pro tertio. Interdum unam tantum dat dilationem, ut monemus te, quod usque ad talem diem, pro primo, secundo, & tertio peremptorio; & hoc ultimo casu est intervallum inter monitionem & sententiam. Debet autem hæc monitio ad reum fieri personaliter, nisi latitet, tunc enim sat est citationem cum comminatione fieri ad ejus domum, vel Ecclesiæ valvas vel alium publicum locum, Laym. mox citandus n. 4.

Per contumaciam intelligitur inobedientia, seu contemptus; non requiritur formalis, sed sufficit materialis: & quidem si est censura lata sententiæ, contumacia consistit in eo, quod non obstante præcepto Ecclesiæ aliquid prohibentis, vel præcipientis sub pœna censure violetur præceptum, si autem sit censura sententiæ ferendæ præter peccatum præteritum opus est, ut vel citatus, & monitus non desistat à peccato, vel jussus satisfacere non satisfaciat, sic enim perseverat rebellio, Laym. lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 5. num. 1. vers. Nota tamen &c. junctis numeris sequentibus quatuor.

418. Conclusio habet locum in ignorantia cujuscunque Legis, sive hæc sit municipalis, sive ordinariorum: sive Pontificis ob rationes allatas: & ulterius firmatur ex c. ut animarum 2. de constit. in 6. ibi: ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque ordinariorum prolati ligari nolumus ignorantes dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. Ratio decidendi sic fuit ut obvietur periculis animarum, quæ ratio pro-

cedit etiam de constitutione Pontificia, ergo ex mente Pontificis etiam extenditur ad ignorantes Pontificias constitutiones.

Extende secundò ad ignorantiam facti, ut si percussas aliquem invincibiliter ignorans esse Clericum, estò scias hujus percussioni annexi Excommunicationem, quia percussio ut habens annexam censuram est involuntaria, & ideo in c. si verò 2. de sent. Excom. occisor clerici ignorans esse clericum excusatur ab Excommunicatione Sanch. num. 23. amplians num. 24. & 26. ad eum, qui dat operam rei illicitæ, aut cum ignorantia concomitante, dum hæc sita est in affectu actuali occidendi Clericum, si ibi esset, hic enim affectus per num. 377. licet non excuset operantem circa occisionem, excusat tamen ipsum opus, seu occisionem à peccato. Ob solum affectum, seu intentionem sine opere externo nulla incurritur censura, Irregularitas, aliæ pœna.

Extende Tertio, ad casum, quo volens cedere Clericum Titium, casu cadat Cajum Clericum, quia Caj casus est involuntaria, seu non peccaminosa, Econtra intendens necem Clerici Titij, si enecet clericum Cajum credens esse Titium incurrit Excommunicationem, & Irregularitatem ex opposita ratione, nam enecatio Clerici Caj est voluntaria sub ratione Clerici, etsi sit involuntaria quatenus Caj est, Sanch. num. 27. approbatus à Pal. n. 3.

419. Dico 2. Probabilius ad incurrendam censurarum pœnam requiritur etiam notitia pœnæ ultra notitiam Legis, Sanch. num. 13. Pal. num. 5. contra

trà Jul. Clar. Covar. &c. Probatur 1. censura non imponitur nisi aliter reus non sit corrigibilis, est enim ultima pœna, quâ Ecclesia punit, eaque gravissima S. Aug. lib. de Corrupt. & gratia c. 15. Relatus Can. corripiantur 24. q. 3. estque medicinalis c. 1. de Sent. Excom. in. 6. sed non esset medicinalis, nec ultima pœna, si hanc ignorans eam incurreret; nam medicinalis non aliâ ratione dicitur, nisi quatenus sui timore retrahit homines à delictis committendis: ut autem sit ultima debet punire ultimam, seu summam contumaciam, sed ultima, seu summa contumacia non potest dari sine noticia censuræ, cum magis sit in legem contumax hujus transgressor sciens à lege imponi pœnam, quàm scienter violans legem ignoratâ pœnâ.

Amplia conclusionem utramque ad irregularitatem ex delicto, Sanch. n. 17. 20. & 21. est enim gravissima pœna, ac valde affinis censuris eamque debet exequi ipse reus, idem sentit Pal. num. 6. contra Laym. num. 8. ubi negat irregularitatem contrahi ob contumaciam, sed propter turpitudinem culpæ. Contra est incontinentia Clericorum continet maculam valde deturpantem Clericos per Can. proposuisti Dist. 82. in cuius detestationem Syricius Papa deponbat Clericos incontinentes, & tamen uti habetur circa finem Canonis Innocent. I. cuius est iste canon, noluit deponi ignorantes eam constitutionem. Ergo non solæ censuræ, sed etiam irregularitas non incurritur ab ignorante illam.

420. Ampliat secundò Sanch. n. 17. 20. & 21. ambas conclusiones etiam ad re-

liquas pœnas. Ampliatio placet etiam Pal. num. 7. quæ uti pronunciat Navar. summa latina c. 23. num. 47. pletisque solatio esse potest maximè in materia censurarum, & irregularitatum: futius prosequitur c. 37. n. 274. vers. decimo tertio &c. dans rationem, quòd licet delinquentis consensus in pœnam non sit necessarius, ut ille ad hanc obligetur, necessarius tamen consensus in causam, ob quam imponitur juxta S. Th. 2. 2. q. 64. a. 8. ut autem consentire dicatur quis in causam alicujus, non sufficit, quò consentiat in eo, quòd est causa, sed requiritur quòd sciat, aut scire debeat id esse causam: qui scit aliquid esse malum & ignorat pœnam ob id impostam, scit quidem id, quòd est causa illius, non tamen esse causam illius. Hucusque ille, subdens procedere hanc rationem quoad pœnam extraordinariam, & exorbitantem, secùs quoad Leves, Mediocres, & Ordinarias pœnas ac delicto proportionatas: quia quisque sciens aliquid esse vetitum, etiam scit, aut scire debet id esse puniendum juxta ejus naturam, ergò scit non solum id, quòd est causa pœnarum, sed etiam id esse causam illarum. Unde cum pœna inferni non sit peccato mortali extraordinaria hanc etiam ignarus inferni incurrit, Pal. num. 9. cum quisque reus titulo culpæ subjiciatur pœnæ proportionatæ. Ex hoc.

421. Infert. 1. Pal. n. 7. & 8. ab ignorante non contrahi pœnam quam ipse debet in se ipso exequi, quia pœna cuius executio sit facienda ab ipso Reo, non est annexa delicto, ergò per consentium in delictum non consentit in eam; estque

que exorbitans, idcirco ab ea excusatur.

Secundò. Etsi ignorans censuras & irregularitates annexas delicto, proinde non incurrat illas, est tamen punibilis arbitrio Judicis, scivit enim se mereri pœnam proportionatam.

Tertiò. Reservatio delicti facta in odium ejus non contrahitur ab ignorante, secus si ob commune bonum Ecclesiæ: tunc autem fit reservatio ob commune bonum præcisè, quando per se, & ratione sui reservatur nulla speciali constitutione delictum id prohibente prout Sixtus V. specialiter reddidit constitutionem contra malè promotos ad Ordines, & Greg. XIII. contra dantes, & recipientes pecunias pro gratia à sede Apostolica obtinenda; & idèò reservatio non incurritur ab ignorante.

Quartò ignorans non incurrit actus annulationem, quando hæc non fit ob defectum solennitatis, sed in pœnam delinquentis, aliàs ipse delinquens esset executor propriæ pœnæ. Hinc si impedimento criminis fit annexa irritatio matrimonij in pœnam delinquentium, sequitur non incurri ab ignaris irritationis, cujus sententiæ fundamenta expendi in *tr. Canonist. num. num 158.* uti & rationes cæterorum DD. communissimè negantium, quòd impedimentum criminis sit principaliter pœnale.

Verùm quia etiam rationes ipsorum probabiliter sunt ibi soluta, neque evidenter enervata fundamenta, quibus prior opinio nititur contendens, quòd ignorantes irritationem matrimonij validè id contrahant, dixi ibidem hos non improbabiler id tueri, probabilius tamen esse, impedimentum istud incurri etiam ab

ignaris, est enim inhabilitas irritativa matrimonij, ut obvietur periculo captandæ necis superstitis conjugis. Ita Gobat *tr. 9. num. 201.* addens posse aliquando tollerari matrimonium bonâ fide cum tali impedimento contractum quando renovatio esset difficilis, quod etiam approbat Sporer *p. 4. Tyrocin. Sac. n. 114.*

Quintò cognoscens consanguineam suæ uxoris intra secundum gradum ignoransque copulam hanc ab Ecclesia specialiter prohiberi sub pœnæ privationis debiti petendi, aut etiam sciens prohibitionem hanc, at ignarus dictæ pœnæ, hanc non incurrit; nam in primo casu non committit incestum, in secundo licet hunc committat, non tamen scit esse causam dictæ privationis debiti petendi, Pal. ex Sanch. à *num. 43.*

422. Sextò. Nullum casum Papalem incurri ab ignorante annexam esse Excommunicationem, quia nullus reservatur Papæ sine Excommunicatione, unde omnes Papales casus sunt pœnales (idem dic de Episcopalibus, & Regularibus casibus, quibus est censura annexa) unde à Bullæ Cœnæ casibus potest quivis absolvi etiam in loco, ubi est recepta, ignorans Censuram Excommunicationis illis annexam.

Econtra alij casus Episcopales, & Regulares probabilius incurrantur licet ignoretur reservatio contra multos apud Moya *tr. 3. D. 8. q. 2.* eos probabiliter sic sentire existimat Adamus Burghaber *Centur. 3. casu 31.* Contra hos communior opinio stat probatque oppositum invertendo argumentum partis adversæ situm in eo, quòd reservatio sit pœnalis, pœna autem invincibiliter ignorata



non incurratur, ut ipsi fatemur de censuris, aliisque pœnis per *num.* 419. & 420. Ratio hæc invertitur negando, quòd reservatio sit principaliter pœna, sed Medicina; censura verò sit principaliter pœna, & Secundariò Medicina. Ignorantia pœnæ primariò talis excusat à sui incurfione, secùs quando est principaliter medicinalis, qualem esse reservationem non Papalium saltem in Religiosis Ordinibus patet primò ex 3. p. *Constitutionum Societatis JESU c. 1. §. 11.* ubi dicitur: *eos Casus à Superiore reservandos, quos ab eo cognosci necessarium videbitur, aut valde conveniens, quò melius remedium adhibere possit, & suæ curæ commissos præservare ab omnibus, quæ nocitura sunt.*

Secundò quòd opposita sententia repugnet iudicio Superiorum Ecclesiasticorum, & Regularium. Qua de causa est effatum P. Gobat *Theolog. Experim. tr. 7. num. 361.* Confessorem Regularium non præstiturum fidelitatem suo Prælato, si nactus pœnitentem implicitum tali casu, ac reservationis ignarum abfolveret, quin diceret expressè: *Te quidem absolvam hæc vice, scio autem imposturum, te non posse à me absolvi sine expressa facultate Superioris.*

Similiter possunt Parochi, & Vicarij pro prima vice abfolvere suos ab ignorantis Episcopalibus cum præfata monitione, ita Sporer *p. 4. Tyrocin. Sacram. mibi n. 735. junct. 748.*

\* \*

\*

## §. IX.

*Qualis ignorantia excuset ab imposta per Legem pœna.*

423. **H**ic recolenda est divisio ignorantie vincibilis in affectatam, & non affectatam: non affectatam in crassam, & non crassam mortaliter tamen culpabilem per *num.* 378. Dixi *vincibilis*, quia omnis invincibilis sive sit legis pœnam imponentis per *nu.* 416. sive solius pœnæ per *num.* 419. ignorantem liberat à censura, aliave pœna: quod enim culpa caret, in damnum vocari non convenit *c. 2. de Constit.*

Quare Regula vera est, quòd omnis

ignorantia à mortali culpa excusans etiam excuset à pœna gravi, quia per *c. cum cessante de appellat.* cessante causa cessat effectus, sed causa gravis pœnæ est peccatum mortale, ergo. Unde licet culpa maneat mortalis contra aliam legem, dummodo ignoretur lex infligens pœnam, ignorantia excusans à mortali contra hanc legem, excusat à pœna gravi hujus Legis.

Resp. Nunc primò ad *Questionem* §. quando ad pœnæ incursum lex requirit

rit

rit sui scientiam nulla ignorantia etiam crassa sufficit ad eam incurrendam, secus affectata æquivalens scientiæ.

Pars I. Est Sanch. *lib. de Matr. D. 32. num. 36.* Pal. *p. 1. tract. 2. D. 1. p. 18. num. 1.* quia nisi sit affectatè ignorans non dicitur scienter violasse legem. Deinde ut scienter quis delinquat in legem, requiritur dolus in ejus violatione, proinde ut fiat violatio animo delinquendi, sed ubi est ignorantia etiam crassa, abest animus delinquendi, ergo abest dolus, adest tamen culpa lata; hæc ergo non sufficit ad incursum pœnæ contra legem, quæ requirit scientiam.

Pars secunda est Sanch. *num. 40.* quia affectans directè nescire, vult nescientiam ex fine liberius peccandi, sed hoc ipso hæc ignorantia æquivalet scientiæ, nam non facit, quò minùs sit tanta culpa, quanta committitur à sciente, imò facit majorem, indicat enim intentum affectum ad violationem Legis.

Resp. 2. Quando lex sub verbis qualificatis sequentibus, aut his similibus imponit pœnam, qui *temere*, vel *audacter*, vel *malitiosè*, vel *consultò*, vel *presumptuosè* hoc fecerit: aut *presumentes*, vel *audentes*, aut *ausu temerario legem* talem violarint, hanc pœnam incurrant, ad incurrendam illam etiam necessaria est scientia, aut ignorantia affectata scientiæ equiparata, Sanch. *num. 37. & 38.* Pal. cit. Soarez *de Legib. lib. 5. cap. 12. num. 9. 13. & 15.* Contra multos æquiparantes crassam dolo *ex lib. 1. ff. si mentor falsum modum dixerit.* Ratio, quia etiam crassè, seu supinè ignorans non dicitur temerè, audacter, consultò, presumpuosè & dolo violare; at benè si violatio fiat ex ig-

norantia affectata, aut si crassa sit ingentis temeritatis, ingens temeritas importat culpam latissimam, ac dolo æquiparatam Sanch. *n. 39.*

Bonacin. *de Cens. D. 1. quest. 2. p. 1. num. 11.* contra Soarez putat probabilius esse, quòd censura non incuratur lata per Leges sic qualificatas nisi temeritas, præsumptio, Contemptus proveniat ex certa scientia, aut ingenti temeritate: & ideò ignorantia etiam affectata excusat, nisi ingenti temeritati sit conjuncta, quam sententiam videtur approbare etiam Pal. *num. 1. in fin.* ubi eam refert, nec reprobatur.

425. Resp. 3. Nulla censura, & Irregularitas ex delicto contrahitur ex ignorantia invincibili mortali, nisi sit crassa (dari mortaliter culpabilem ignorantiam, quæ non sit crassa, dixi *nu. 378.*) ita Sanch. *à num. 31.* Pal. *num. 2.* crassam jus vocat ignorantiam ex lata culpa. Responsio fundatur in *c. ut animarum 2. de Constit. in 6.* cujus textum relege *in num. 418.* liberante à sententijs ordinariorum, nisi violatio statutorum processerit ex ignorantia crassa, & supina, ergò supponit Pontifex dari ignorantiam mortalem, quæ sit inferior crassa. Capituli hujus decisio debet extendi per ibi dicta etiam ad constitutiones Pontificias, Pontifex enim est etiam ordinarius, & quidem omnium ordinariorum; vel si nolis hoc titulo eum illic comprehendi, ratio in textu allata suadet ejus comprehensionem, nempe ut obvietur periculis.

Conf. Censuræ, ac Irregularitas ex delicto sunt pœnæ requirentes contemptum, ut incurrantur, ita Pal. ex Navar. sed ubi est aliqua diligentia adhibita ad

ad comparandam legis ejusmodi pœnalis scientiam non intervenit legis contemptus, secùs quando ferè nulla secundum Sanch. aut nulla secundum Pal. *per num.* 378. diligentia adhibetur, esto sufficiens occurrat notitia obligationis indagandi, sic enim negligens indagare ostendit se parùm, aut nihil curare legem, hoc autem est contemnere; nec esse potest justa excusatio à dolo, secùs si aliqua adhibetur diligentia.

426. Resp. 4. Pœna privationis debiti ob copulam cum consanguinea intra secundum gradum suæ conjugis, aut quòd quis Baptizârît absque necessitate, aut elevârît prolem suæ conjugis ex sacro fonte non incurritur cum ignorantia sive facti, sive Juris qualicunque, nisi sit affectata, aut aded crassa, ut sit ingens temeritas ignorare. Pars prima est Sanch. *num.* 47. contra alios apud illum *num.* 44. probatur privatio petitionis debiti est pœna imposita scienter habenti copulam cum Consanguinea intra secundum gradum suæ conjugis, aut absque necessitate baptizanti suæ conjugis prolem, aut hanc elevanti ex sacro fonte, sed pœna scienter facienti imposita non incurritur sine ignorantia affectata, aut crassa, quæ sit ingens temeritas, *per num.* 423. Ergò. Major probatur ex *c. 1. de eo, qui cognovit consanguineam*, ibi: *si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, neque à matre debitum petere, neque filiam unquam habere potest in uxorem*: & de impedimento cognationis habetur in *C. si vir de cognatione spirituali*, ibi: *si ex ignorantia factum est, ejus ignorantia excusare videtur*; ubi nomine Ignorantiæ intelligi

affectatam, bene probat Sanch. ibi, & *num.* 48. ubi cum consanguinea in secundo gradu peccans, ignorans gradum secundum, sed credens esse tertium excusatur à præfata pœna ob facti ignorantiam.

Pars secunda est ejusdem *num.* 49. Contra plures apud eundem *num.* 46. probaturque eo modo, quo est probata Conclusio prima, *num.* 416.

427. Resp. 5. De alijs pœnis impositis per leges non requirentes sui scientiam, nec constantes verbis qualificatis, de quibus *num.* 424. ut incurrantur, sufficit ignorantia vincibilis mortaliter culpabilis Pal. *num.* 3. quia talis ignorantia non excusat à peccato mortali, ergo nec à pœna per Legem statuta, quia de ejusmodi pœnis incurrendis nihil jura specialiter statuunt, prout statuunt de alijs, de quibus in præcedentibus responsis. Idem sentit Perez *de Matr. D.* 51. S. 5. *num.* 6. ubi est de Excommunicatione aliisque censuris, ac Irregularitate ex delicto doceat ignorantiam harum pœnarum, estò, adit scientia juris, & facti, excusare, negat tamen non incurri privationem debiti ab eo, qui ignorat solam pœnam; hæc enim est una ex ordinarijs, & proportionatis, quas vult incurri. Verùm quoad pœnam debiti oppositum sentio *per n.* 426.

Dicta de Ignorantia extendenda sunt ad oblivionem, seu ad actualem inadvertentiam ac inconsiderationem *per n.* 378. *in fin.* undè si oblivio, seu inadvertentia est culpabilis, de ea quoad pœnam legalem discurrendum est sicut de ignorantia culpabili, si verò inadvertentia est inculpabilis, habet se quoad pœnam sicut igno-

rantia inculpabilis. Ratio quod ignorantia in eo solum discrepet ab inadvertentia quod ignorantia sit carentia scientiae non praehabita; Econtra inadvertentia sit naturalis oblivio eorum, quae scimus, scire enim dicitur actu etiam non considerans, unde cum non sit semper

in nostra potestate recordari à nobis prius scitorum, inconsideratio, seu oblivio tunc æquivalet ignorantiae invincibili, ita Vasq. 1. 2. D. 107. n. 6. & 9., & D. 118. n. 11.

\* \*



§. X.

Multorum practitorum illatio ex stabilitis §. 8. & 9. Explicantur Clausulae ipso jure, ipso facto, nullam expectatam sententiam aut absque alia declaratione.

428. Inf. 1. Parochus matrimonio assistens non praemissis denuntiationibus (idem dic de alio sacerdote de ejus licentia etiam Regulari) non suspenditur triennio ab officio, si ignoravit hanc prohibitionem, aut hujus poenam, etsi fuerit ignorantia mortalis, dummodo non affectata per num. 416. juncto 419. 423. & 425.

Inf. 2. Pueri etiam doli capaces ante pubertatem excusantur ab incurfu censurarum ab homine latorum, ita expressit c. 1. de delictis puerorum & c. referente eod. à censuris vero à jure communi latis apud Pal. p. 1. tract. 3. D. 1. p. 24. §. 2. num. 8. est controversum, nam capaces doli incurrere censuras est opinio Sanch. lib. 1. Decal. c. 12. num. 8. Soarez tom. 5. de cens. D. 5. S. 1. num. 19. dans differentiam, cur excusentur à censuris latis ab homine, secus à latis in jure, quod hæc non in R. P. Karch. Diff.

digeant citatione Rei &c. secus lata ab homine, impubes autem utpote adhuc ineptus ad ordinem judicarium non potest de jure citari, nec admitti ad agendum, aut defendendum se judicialiter. Verum differentia hæc procedit solum de censuris specialiter latis, hæc enim possunt specialem citationem, non autem de generaliter ab homine latis, hæc enim sunt conformes à jure latis prout arguit Pal. cit.

Et idem ipse num. 8. existimat pueros doli capaces incurrere Excommunicationem jure latam ob percussione clericum, hæc enim Excommunicatio ob suam gravitatem supponitur incurri in c. super eo 1. c. pueris 60. & c. quamvis 58. de Sent. Excom. ab alijs autem Excommunicationibus & censuris eodem liberat ante pubertatem, quia, inquit, citata capitula, cum exprimant Excommunicationem ob percussione, cum

S s

ma-

materia sit odiosa non debent extendi ad alias Excommunicationes ac censuras, sed servanda est decisio relati *c. 1. de delictis puerorum.*

Ex hac opinione duo colliguntur, quod pueri omittentes intra annum confiteri, & paschalem communionem, sint liberi ab Excommunicatione Episcopali fortè lata in negligentes, Filliuc. *tom. 1. tract. 11. num. 5. nu. 130.* Secundò pueros ante pubertatem occisores non fieri Irregulares Pal. contra Sanch. *nu. 8.* Si tamen moriantur ipsi tempore Interdicti, carent cum cæteris sepulturâ in sacro loco interdicto, quia hæc pœna non tam ipsos, quam sepelientes respicit, Pal. & alij apud Dian. *p. 6. tract. 6. Misfeel. Res. 88.*

Resp. Me approbare sententiam Pal. cæjus ratio ulterior est, quòd ad incurrendas censuras prærequiratur notitia Legis prohibentis, ac pœnæ per *nu. 416. & 419.* Ecclesia autem communiter non præsumit hanc notitiam sufficientem in pueris, ergo non est præsumendum, quòd Ecclesia intendat eos comprehendere, nisi exprimat, prout expressit de Excommunicatione ob percussum Clericum.

Non nego in aliquibus reperiri ante annos puberes scientiam Legis, ac pœnæ, verùm hoc est per accidens, & ideò ad hoc se non extendit lex, sicut etsi aliqui Sexagenarij sint robusti, uti & aliqui juvenes ante annum 21. attamen lex juvenij æc hos secundum omnes, nec illos secundum communiorem, & veriorem sententiam stringit.

429. Inf. 3. Ignorantiam crassam, aut affectatam non excusare à censuris la-

tis sine qualificatione (de qua *nu. 424.*) e. g. qui hoc fecerit incurrat hanc, aut illam censuram, ita Soarez. *tom. 5. de Cens. D. 4. S. 10. num. 10.* Sanch. *lib. 9. de Matr. D. 32. num. 31.* Bonac. *de Censur. D. 1. quest. 2. p. 1. num. 10.* probatur ex *C. ut animarum 2. de Constit. relato num. 418. & 425.* negante incurri ordinariorum sententias ab ignorantibus, nisi violentur ex ignorantia crassa. Unde clerici percussor ex ignorantia crassa clericatûs evadit Excommunicatus juxta *C. si quis suadente Diabolo* contra Abb. & aliquos alios, quibus negatur his verbis importari dolum, qui committi non potest sine animo delinquendi, proinde nec sine scientia. Eadem crassa ignorantia sufficit ad Irregularitatem ex delicto, dum illa huic est annexa, citati Sanch. Bonac.

Ignorantia autem minor crassâ, est fit mortalis, excusat à censuris, & Irregularitate ex delicto, cit. Sanch. Constatque apertè ex *cit. C. ut animarum*, in quo per sententias ordinariorum intelligi Excommunicationem Cæterasque censuras notavit cit. Bonac.

Si dicas, nulla ignorantia mortaliter culpabilis excusat à culpa, ergò nec à pœna. Resp. Consequentiam non valere, ut patet in contrahente ex metu gravi injusto matrimonium, & consummate, qui licet mortaliter peccet per *nu. 177. & 178. Vers. Breviter.* non tamen incurrit Excommunicationem latam in *Clement. uno. de Consang. & affin.* Soarez *lib. 3. de Legib. cap. 30. nu. 14.* Ratio autem negatæ consequentiæ est quod plus requiratur ad pœnam incurrendam

dam censura (nempe) contumacia, quæ abest ignoratâ pœnâ) quàm ad culpam.

430. Inf. 4. Censuras, & Irregularitatem ex delicto incurri ante sententiam declaratoriam criminis commissi (idem est de privatione petendi debitum) Sanch. lib. 9. de Matr. D. 30. in cujus sine fateatur efficacem hujus rationem non inveniri, nisi usum, seu quoddam usum declararet has pœnas privativas actionem delinquentis non poscentes non exigere ullam judicis sententiam.

Dixi has, quia non omnes pœnæ privativæ sic usu receptæ sunt, nam cit. Sanch. num. 2. post relatam Cajetani opinionem 2. 2. quæst. 62. a. 3. communiter receptam distinguentem inter pœnas positivas, & negativas; positivas non incurri ante sententiam, secus negativas; quia hæ ad sui executionem nullâ egent actione, at bene positivæ. Hanc distinctionem impugnat ex doctrina Navar. &c. in pœna, ut quis fame moriatur, nulla requiritur actio, & tamen est necessaria Judicis sententia. Item inhabilitas ad beneficia est negativa, at tamen probabilissimè non obligat ante judicis sententiam. Idem dic de inhabilitate eligendi, aut ferendi suffragium, quæ poscit Judicis sententiam, etsi consistat in cessatione, hæ enim pœnæ etsi privativæ sunt admodum acerbæ, & idè vi carent ante sententiam ita Mol. de Just. tom. 1. tract. 2. D. 96. Vers. Duo observa, & Vers. Idem dicendum.

Multò minùs ante sententiam Judicis tenetur beneficiatus se spoliare possessio beneficio, etsi ipso facto, aut ipso jure, sit annexa delicto pœna privationis beneficiorum, & inhabilitas ad illa, nisi legis-

lator aliud addat, ex quo clarissimè pateat mentem ejus esse, ut absq; ulla sententia commissio crimine amittatur beneficium, cit. Mol. Vers. Quod attinet & Vers. Quod dictum est, Sanch. lib. 2. Decal. C. 26. num. 8. uti amittitur Parochia, si quis ad hanc promotus intra annum non fiat Sacerdos, Less. lib. 2. cap. 34. num. 100. ex C. licet, Canon. de Elect. in 6. ubi dicitur: Nullâ etiam præmissâ monitione sit privatus: & num. 188. addit fortè etiam Episcopum, ut dictum de Parocho, privati Episcopatu, si intra sex Menses à pacifica possessione se non curet consecrari.

431. Dicit fortè, quia num. 103: tueretur ut veriùs, non teneri in conscientia dimittere ante sententiam contra alios probabiliter dissentientes, & quidem ex eo, quòd Concil. Trid. Sess. 23. cap. 2. de Ref. eodem modo loquatur de restitutione fructuum, ex Episcopatu perceptorum spatio trimestri, quo suâ culpâ Episcopus non est consecratus, & quòd ipso jure sit privatus Episcopatu, quo modo loquitur jus de privatione Parochiæ.

Verùm negat Lessius esse eundem modum loquendi; nam Concilium non dicit, ut nullâ præmissâ monitione sit privatus, aut ut teneatur deserere Episcopatum: Verba Concilij sunt; si munus consecrationis intra tres Menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: si intra totidem Menses postea id facere neglexerint, Ecclesijs ipso jure sint privati: hic loquendi modus ita passim consuetudine receptus est, ut non sit obligatio dimit-

tendi ante sententiam officium, aut beneficium, quo quis ipso jure est privatus.

432. De pœna privationis beneficij ob interventum Simonia realis seu utrinque completa est sententia à plerisque asserta, quod ejusmodi beneficij collatio sit irrita ante sententiam criminis declaratoriam fructusque nulliter percepti, atque adeò tam hi, quam beneficium in conscientia sit dimitendum.

Econtra Diana p. 4. tr. 4. Resol. 155. secutus Sanch. lib. 2. Consil. c. 3. dub. 26. num. 10. & dub. 108. num. 3. Negat, dum Simonia est juris humani, ut si propria autoritate permutentur duo beneficia aut reservetur pensio, aut promittatur beneficium pro suffragio in Electione ad Episcopatum, aut promittatur, aut detur pecunia Mediatori pro intercessione beneficij, &c. Fundamentum hujus desumit Sanch. ex Extravag. 1. inter Communes de Simon. sic enim incipit: *cum scelus Simoniacæ privativitatis tam divinorum, quam Sacrorum Canonum Autoritas abhorreat*: ergo loquitur de Simonia prohibita non solo jure humano, sed etiam divino, nam præfatio legis dat intellectum toti legi, & ex ipsa regulatur, ac causam finalem accipit.

Eandem sententiam amplexus est Mol. cit. vers. duo observa, eumque allegat Sanch. lib. 9. de Matr. D. 30. num. 1. post medium inquit in habilitas ad beneficia, etsi sit pœna privativa, eget tamen judicis sententia per n. 430.

Demum in terminis docet de Simonia mendo in Epit. Verb. Simonia num. 10. aliàs, inquit, si ante senten-

tiam declaratoriam delicti essent beneficia dimittenda, saepe reus deberet declarare, ac prodere delictum suum, quod est nimis acerbum. Nec Mendo, nec Mol. distinguunt inter Simoniam juris divini, & humani. Itaque pergit cit. Mendo in pœnis privativibus jure quaesito expectanda est judicis sententia declaratoria saltem delicti, & pro hoc citat. Covar. Sanch. Less. Vasq. Molin. Perez.

433. Citati Diana & Sanch. excipiunt Simoniam confidentialem (habet locum in solis beneficijs, consistitque in compactatione tacita, aut expressa cum eo, cui beneficium quis confert, aut confirmat, aut ad id eligit, aut illi resignat, aut ad id præsentat, ut post aliquod tempus idem beneficium, aut hujus fructus, aut ex eo pensio præstetur collatori, aut alteri e.g. fratri, nepoti &c. collatoris, prohibita est à Pio IV. Constit. quæ incipit. *Romanum* & à Pio V. Constit. incipiente, *Intolerabilis*) quibus contrarius est Less. lib. 2. c. 35. num. 147. ubi docet privationem beneficij, in quo committitur confidentia Simonia, & privatio reliquorum beneficiorum antè obtentorum, & pensionum esse pœnas annexas tali Simonia, quin eas incurrens teneatur ante sententiam hæc beneficia, & pensiones dimittere, extenditque ad inhabilitatem ad idem beneficium & ad cætera omnia: & post enumeratas plures pœnas privatas concludit sic: *n. 148. In his tamen omnibus videtur usureceptum, ut non teneatur quis sua beneficia dimittere ante sententiam, ut supra dictum est.*

Juxta hanc sententiam Simoniacæ pro-

promoti ad beneficium non sunt ipso jure Excommunicati, nec privantur beneficijs sic acceptis, nec tenentur fructus restituere. Econtrà secundum sententiam communiorem oppositam ipso facto amittitur Dominium rei, licet retineatur possessio; & ideo nulla alienatio à tempore delicti est valida, & licita defectu Dominij, ac potestatis sermo est de actibus privatae potestatis, at insistendo sententiae benigniori valent alienationes, & sunt licitae ante sententiam Judicariam.

434. Dixi *privata Jurisdictionis*, quia actus publicae Jurisdictionis etiam juxta sententiam dictam communiorem, rigidiorèque validè sunt gesti ab ijs, qui ob delictum ipso jure privantur officio publico e.g. Judicis, aut dignitatis, cui est annexa Jurisdictio fori externi, quia retinent possessionem, & titulum habent coloratum cum communi errore, *L. Barbarius de Officio Praetor.* ubi servi Authoritate praetoria functi gesta publica non reprobantur, etiam alias servus sit incapax Jurisdictionis, ita omnes apud Sanch. *lib. 3. de Matr. D. 22. num. 5.* consentientes, quòd quamdiu durat error communis & titulus putativus, seu existimatus legitimus, id est, à legitimo Superiore collatus, actus omnes valeant, quin possint rescindi.

Requiritur ergò ad valorem error communis; sufficit autem si sit communis in loco, ubi est actus gestus, esto alibi impedimentum sit notorium, Sanch. *num. 9.* unde error unius, aut alterius litigantis coram tali non est legitimus, esto hic error esset Principis, qui con-

cessit titulum existimans esse habilem illum, cui ipsum dedit, Sanch. *num. 6. & 7.* Porro error communis non validat gesta, si est crassus, seu supinus, sed debet esse invincibilis, crassus enim aequiparatur scientiae, Sanch. *num. 8. exc. 2. de Constit. in. 6.* Quapropter cum Praelatus habeat Jurisdictionem fori contentiosi, seu externi, acta illius sunt firma; quamvis sit promotus ad Praelaturam in Excommunicatione, aut Irregularitate, aliòve impedimento occulto irritante electionem, aut si intervenerit realis completa Simonia, aut confidentialis: proinde validè excommunicat, aut absolvit ab Excommunicatione; legitimè confert beneficia; delegat validè jurisdictionem, ita Less. *lib. 2. c. 29. num. 66.*

435. Hic eodem loco dicta extendit ad Jurisdictionem delegatam praesertim ad causarum universitatem, estque verius etiam de delegato ad causam particularem, nam etiam tunc agitur de bono communi. Ampliat ad superiorem, qui confert Officium, aut Jurisdictionem conscius impedimenti alterius, aut collationis invalidae dummodo ipse intendat conferre, quantum in se est actu saltem externo, adsitque communis error, qui cum adhuc generatim subsistat, esto sciant impedimentum, quorum causa agitur; ideo etiam acta eo in casu obtinent valorem, Sanch. *n. 7.*

Præterea *num. 67.* ampliat doctrinam ad casum, quo alicui occultè est sublata Jurisdictio, ut si ejus beneficium habens annexam Jurisdictionem vacet ipso jure, remanet enim adhuc Titulus Officij Publici (ut si est ab Episcopo institutus) & error facti. Hac ratio sua-



det, etsi Jurisdictio sit per sententiam abrogata, aut revocata, est contra multos aliter sentientes teste Less. qui ex eodem principio defendit Acta delegati, hujus potestas expiravit morte delegantis, aut amotione hujus ab officio re adhuc integrâ, Sanch. *num.* 56. & 58. Idem Less. *Verf. septimo.* Tuetur valere acta ex officio publico gesta, etsi non sint actus Jurisdictionis, ut Tabellionis Instrumentum, electio, & præsentatio ad beneficia, assistere matrimonio.

436. Inf. 5. hucusque dictis locus dandus est etiam in foro conscientiæ; nam in concursu erroris communis, ac tituli colorati non minùs Ecclesia potest suppleri defectum Jurisdictionis in Sacerdote, quàm in foro externo, sed postulat bonum commune, ut suppleat in foro externo, ac defactò supplet; ergò etiam defactò supplet in foro conscientiæ propter idem bonum commune. Ratio hæc evincit, licèt jus expressum de hoc non habeatur, uti constat de foro externo, ita Less. *num.* 67. *vers. sexto sequitur.* restans passim id doceri Sanch. *num.* 13. consequenter tunc validè absolvit Prælatum, aut Parochum habens titulum putativum à Legitimo Superiore cum communi errore contra aliquos apud Sanch. *num.* 12.

Inf. 6. Uxorem non amittere propter adulterium occultum dotem, quæ viro accrescat juxta *C. plerumque de donat. inter virum & uxorem*, minùs paraphernalia, nisi sequatur Judicis sententia, Sanch. *Lib. 10. D. 8. num.* 13.

Inf. 7. Regulares, quibus sub pœna privationis officiorum, ac inhabili-

tatis ad futura est prohibita tam directâ, quàm indirectâ suffragiorum procuratio pro Officijs Ordinis, non eam contrahunt ante sententiam.

Inf. 8. Clerici Episcopo inferiores detinentes concubinas, aut suspectas feminas, aut cum jis consuetudinem habentes, si à Superioribus moniti Canonicè (ad hanc tria poscit Pignatelli *to. 9. Consult. 139.* primò ut sit trina, de qua re vide *num.* 417. Secundò non sufficit una etiam peremptoria, de qua loco citato, nec generalis de omnibus Concubinis dimittendis, sed est necessaria monitio specialis, seu singularis, uti habe Declaratio Cardinalium apud Gallenart. *num.* 2. Tertiò ut monitio fiat judicialiter, talis enim requiritur, quando lex petit trinam, nisi enim requireret Judicalem, Concilium foret contentum una extra Judiciali. Verùm judico attendendum esse ad consuetudinem, si post primam monitionem non paruerint tertiâ parte fructuum (secùs quotidianis distributionibus, ita citata Declaratio) ipso facto sint privati. Hæc tamen pœna ante sententiam Declaratoriam criminis non videtur in conscientia usu recepta, nec ei locus in Clericis primò delinquentibus, sed puniendi sunt alijs pœnis Canonicis, & demum, si moniti specialiter, ut dictum, id est, si secundo delinquerint, post hoc delictum muletantur tertiâ parte fructuum applicandorum Ecclesiæ, aut alteri pio loco, Reiffenst. *de Cohabit. Cleric. & Mulier. num.* 33. *ac seqq.* Ita exponens Decretum Trid. dictam pœnam statuens *Sess. 25. c. 14. de Reform.*

437. Videtur sequi ex dictis particulis illas in lege, aut canone positas *ipso jure*, aut *ipso facto* (idem est de alijs æquivalentibus: ut *eo ipso*, *ex nunc*, *ex tunc* esse otiosas, quia si requiritur insuper sententia Judicis, ergò nullum habent effectum ante sententiam, quod dici non potest. Resp. Nego assumptum, ad probationem nego consequentiam, quia à momento commissi delicti e. g. hæresis, propter quam ipso jure sunt bona confiscata, hæc manent obligata fisco, estò horum possessio retineatur, imò, & Dominium Vasq. 1. 2. D. 170. c. 4. num. 24. sed non firmum, ita Sanch. lib. 2. Decal. c. 22. num. 5. ad 4. Effectus secundus est, quod post secutam sententiam declaratoriam criminis illæ particulæ retrotrahant executionem usque ad tempus commissi delicti, ex illo enim tempore censetur ad fiscum esse translatum Dominium, fructusque ex bonis perceptos ad eundem pertinere, Less. lib. 2. c. 29. num. 64. vers. hinc fit, vel dici potest, quod dicta verba statim operentur amissionem Dominiij bonorum in persona hæretica, aut in beneficiato amissionem tituli sive juris firmi per collationem acquisiti, retentâ tamen possessione ibi bonorûm, hic beneficij, aut Jurisdictionis totius, cit. Less. vers. Resp. Ubi si jus non obligat ad deferendam possessionem, hanc vocat *possessionem juris*, si ei jus resistit, nempe si vult, ut deseratur, dicitur *possessione facti*.

Quid si lex, aut canon addat præfatis particulis *ipso jure &c.* ista verba: *nulla expectatâ sententiâ*, aut *abs-*

*que aliâ declaratione.* Resp. In primo casu adhuc requiri sententiam criminis declaratoriam, ita Azor p. 1. Moral. lib. 5. c. 7. q. 6. Testans esse communem probâtque exc. 1. de Homicid. in 6. ubi pœna depositionis ipso facto dicitur esse incurrenda cum addito: *nullatenus alia requisita sententia*, & tamen eodem capite exigitur sententia declaratoria criminis; Ratio est quòd legis pœnalis verba strictè sint intelligenda, sed sententia condemnatoria ad pœnam est propriè, ac strictè sententia, ergò lex pœnalis sententiam aliam non exigens est intelligenda de sententia condemnatoria ad pœnam.

Resp. ad 2. Etiam illa verba *absque aliâ declaratione* sumi debent de declaratione declarante esse incurram pœnam, cum quo stat exigi sententiam, quâ declaretur crimen esse commissum; quæ interpretatio etsi appareat violenta, usus tamen eam confirmat cum aliter ejusmodi leges non sint usu receptæ, proinde ante talem sententiam e. g. Beneficiarius non tenetur resignare beneficium, ita Less. lib. 2. c. 29. num. 63. addens ex eodem usu ante executionem per sententiam non censeri privatum beneficio, vel officio, proinde leges statuentes, ut beneficium *ipso jure vacet*, ut in *Extravag. Ambitiosa de rebus Ecclesiæ non alienandis* putat non esse in eo rigore receptas, ut reus spontè teneatur se spoliare.

438. Ex proximè allegata *Extravag.* arguit Sanch. lib. 2. Decal. c. 22. nu. 20. pro opinione Lessij in Responso ad 2. in qua sine solennitate alienantes bona Ecclesiæ

clesiæ ipso facto beneficijs privati existunt, & illa absque declaratione aliquâ vacare censeantur, & liberè conferri possint, nihilominus illa verba absque alia declaratione intelligit de sola pœnæ declaratione, & ideò probabiliùs declaratoriam sententiam criminis requirit, idque confirmat quòd sit innegabile hanc rem esse dubiam, in dubio autem non est interpretandum, quòd legislator voluerit obligare ad pœnam ante omnem Judicis sententiam, præsertim, quando est dubium juris, quale est hoc. Imò subdit; optimè docet Mol. tom. 1. tract. 2. D. 96. Vers. *Quòd dictum est &c.* pœnas amissionis officiorum ipso jure, & ipso facto statutas exigere Judicis sententiam, nisi verba sint luce clariora importantia nullam exigi sententiam.

Posteà à num. 26. istorum verborum ipso jure, vel ipso facto exponit effectus. Primus est, quòd estò pœna per Judicis sententiam imponenda, & ipso jure imposita conveniant in hoc, quòd neutram Reus debeat solvere ante Judicis sententiam: at statim à prolata sententia Judicis, pœna ipso jure lata retrahitur ad omnia bona habita à Reo tempore commissi delicti, omnesque contractus etiam onerosi ab eo tempore initi revocantur; pœna autem imponenda non retrahitur. Secundus quòd pœna imponenda exigat sententiam condemnatoriam ad eandem, eamque declarans, at respectu ipso facto impositæ nec exigitur condemnatio ad eandem, nec declaratio; hujus est ratio, quòd ista ipso jure incurratur per delictum, ergò declarato delicto, illico succedit pœna &c.

439. Inf. 9. Cum Sanch. lib. 2. cap. 5. num. 10. ante sententiam condemnatoriam non incurri licet Lex, aut Canon dicat; non faciat fructus suos; aut ei possessio non suffragetur; prout dicit Trid. Sess. 24. cap. 12. de Reform. contra promotos ad Arc. i-Diaconatum, Dignitates, vel Personatus, quibus animarum cura nulla subest, & ad beneficia quævis curata, eos non facere fructus suos, nec possessionem suffragari, nisi intra duos Menses à die adeptæ possessionis in manibus Episcopi, aut eo impedito, coram ejus Vicario Generali seu Officiali fidei professionem faciant, ita ut probabiliùs tuetur contra Azor &c. probabiliter contrariam: Rationem dat ex Navar. quòd pœnalis Lex etiam ipso jure irrogans pœnam in conscientia non obliget: tum quia, quòd Trid. intendit in conscientia ligare, non utitur solis verbis prædictis, sed ulterius addit Sess. 22. cap. 1. de Reform. adversus non residentes Curatos, Vers. *Si quis autem: eos prorata temporis absentia fructus suos non facere, nec iura conscientia alia etiam declaratione non secuta illos sibi detinere posse, sed teneri aut ipsis cessantibus per superiorem Ecclesiasticum illos Fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare prohibita quacunque conventionione, vel compositione.* In casu autem illationis Trid. non addit verba similia, ergò est signum quòd non intendat ligare in conscientia ante condemnationem.

Ex hoc loco Trid. rectè consequitur pœnam incurri ante Judicis executionem,

nem, dum canon continet verba: *Pœna incurratur in conscientia* contra Emman. Sà *Verb. Pœna* num. 1. cui opinio communis resistit cum Less. *lib. 2. cap. 29. num. 63.* Si canon constet istis verbis: *Teneri in conscientia dimittere, vel non posse absolvi, nisi dimittat, vel beneficium eo ipso vacare, ita ut alteri liberè possit conferri,* ut in casu *G. dudum. 2. de Elect.* dum quis accipit secundum beneficium incompatible ex aperta sententia S. Th. 2. 2. *quest. 62. a. 3.*

Alia exempla, in quibus videtur induci obligatio in conscientia exequendi pœnam ante Judicis sententiam adducit Soarez *lib. 15. de Leg. cap. 8. à num. 10.* in quibus ferè tenet nobiscum, excepto exemplo septimo ex *Conc. Lateran. Sess. 5. sub Julio II.* Contra Simoniacos Cardinales in Electione Summi Pontificis fulminante Beneficiorum privationem sub hac formâ: *eo ipso absque alia Declaratione privatus existat,* putatque hanc formam ferendi pœnam sufficere ad obligandum in conscientia contra Covar. Verùm mens nostra est exposita *num. 437.*

Dicta hucusque à *num. 430.* confirmantur ex Pal. *tract. 3. D. 2. p. 2. n. 8.* asserente satis probabile esse ferè nullam pœnam privantem jure quæsito incurri ante Judicis sententiam, estò lex dicat *ipso facto, vel ante declarationem,* quia, inquit, semper intelligi debet ante declarationem pœnæ, & non ante declarationem delicti. Dicit ferè, quia *num. 9.* excipit pœnam privationis debiti conjugum incestuosorum; quæ ex usu, & praxi cum censuris, ac Irregularitate ex delicto incurritur nulla expectatâ sententiâ.

Lex sub conditione posita pœnalis, non est propriè pœnalis, sed apponit conditionem, sub qua aliquid conceditur, quâ non impletâ cessat factus favor ante omnem Judicis sententiam, Pal. *num. 3.* sic per Trid. *Sess. 23. cap. 6. re reform.* Clericus in Minoribus carens beneficio non gaudet privilegio fori, si non gestat Clericam; sic legatum relictum fœminæ, *si caste vixerit,* turpiter vivens in conscientia non facit luum, sed ad hæredes transit, Sanch. *lib. 7. de Matr. D. 91. num. 2. & 3.*



R. P. Karch, Diff.

T t

§. XI.



## §. XI.

*An ignorantia ex toto, aut ex parte culpam tollat? an mortalis respectu juris naturalis, aut divini, sit etiam mortalis respectu juris positivi? & an peccato scienter, & ignoranter commissa inter se specie, differant.*

440. **R**ecolenda est ignorantia divisio à *num.* 374. ad 379. Invincibilem excusare ex toto à peccato ostendi *num.* 385.

Opus externum factum cum ignorantia concomitante non est peccatum, sive adsit actuale propositum illud facienti (etsi sciretur esse peccatum) sive non adsit *per num.* 377. proinde nec auget nec minuit opus externum in esse peccati, nihilominus S. Th. 1. 2. *quest.* 76. a. 3. dixit eam non excusare à peccato, hoc dictum intelligendum non est, quod non excuset à peccato opus externum *per cit. num.* 377. sed ipsum operantem circa idem objectum, Vasq. *D.* 125. n. 8.

Ignorantiam vincibilem eorum, quæ quis obligatur scire esse in se materialiter peccaminosam defendo ut probabilius *num.* 393.

An autem sit speciale peccatum distinctum à peccato contra præcepta vincibiliter, ignorata ex tali ignorantia violata, resolutum est ex Vasq. *num.* 395. cum distinctione de ignorantia practica & de speculativa; practica est de rebus agendis, & hæc non est speciale peccatum distinctum ab opere, est verò specia-

le peccatum ignorantia speculativa, seu de rebus positis in pura speculatione; ejusmodi ignorantia est de mysterijs fidei, utraque pars est probata *cit. n.* 395.

Ignorantiam culpabilem minus culpam est certum, quia minuit voluntarium, cum sit minus voluntaria violatio ex ignorantia, quam ex scientia, idque verum est de ignorantia etiam crassa, ac supina, quia crasse ignorans non peccaret, si non ignoraret.

De affectata idem videtur dicendum, quia etsi illa sit directè, ac in se voluntaria, transgressio tamen præcepti est solum indirectè voluntaria, nempe in negligentia, seu in omissione debitæ scientiæ investigandæ. Verum rectè contra arguit Pal. *p. 1. tract.* 2. *D.* 1. p. 16. *num.* 2. Concedens quod violatio actualis præcepti ex affectata ignorantia orta sit minus voluntaria, quam si ex scientia accideret, cum hoc tamen stat, quod affectans ignorare præceptum, ut liberius ac sine remorsu conscientiæ possit peccare, adhuc gravius peccet, quam peccans scienter, quia in dicto affectu virtualiter continetur transgressio omnium præceptorum, ob depravatum animum, vult enim removere à se impedimentum à

DEO

DEO positum, ne violentur sua præcepta, tale enim impedimentum seu medium continens hominem in fræno non violandi præcepta est conscientia remorsus, hunc affectans ignorare vult à se excutere, atque aded tacitè vult vagari liberè, ac vivere in peccatis.

441. Qu. ulterius 1. An ignorantia non affectata, nec crassa, quæ contra præceptum naturale, aut divinum esset mortalis, respectu juris humani etiam sit mortalis, proindè sicut à mortali non excusat violationem juris divini, aut naturalis, ita etiam non excuset respectu juris humani. Resp. Non esse mortalem, consequenter peccatum ex illa factum contra humanum præceptum esse veniale ita Sanch. lib. 1. Decal. cap. 17. num. 20. Rhodes de peccatis D. 2. quest. 1. S. 1. §. 1. contra Pal. nu. 3. Soarez tom. 3. in 3. p. D. 82. S. 3. col. penult. & alios multos. Probatum si eadem ignorantia sufficiens ad mortale contra jus divinum, aut naturale, sufficeret etiam ad mortale contra jus humanum, jus naturale aut divinum non exigeret majorem diligentiam tollendi ignorantiam, quàm exigat jus humanum, sed hoc est falsum, quia jus strictius obligans exigat majorem diligentiam, quàm jus mitius obligans, nam per num. 381. diligentia præmittenda ad tollendam ignorantiam, ut sit sufficiens, debet esse proportionata præcepti qualitati: sed jus naturale, ac divinum strictius obligat, quàm jus humanum, ergò jus divinum aut naturale exigat majorem diligentiam, quàm humanum, ergò negligentia diligentia, quæ est mortalis respectu præcepti divini & naturalis, non hoc ipso est mortalis

respectu præcepti humani, dummodo, uti restringit cit. Sanch. ex Vasq. 1. 2. D. 158. num. 61. violans bonâ fide præcedat e. g. judicando adesse causam sufficientem excusantem à Legis observantia, etsi re ipsa non sit sufficiens, & absit animus lædendi præceptum obligans ad mortale.

442. Qu. 2. An omnia peccata commissa ex ignorantia culpabili sint ejusdem speciei cum peccatis scienter commissis contra legem sive divinam, sive naturalem, sive humanam. Affirmant universim Adrian. & Medin. juxta hanc sententiam est in confessione exponendum, an e. g. quis scienter, aut ex ignorantia graviter culpabili occiderit alterum, Cajetanus apud Vasq. mox citandum c. 3. eisdem adhæret de peccatis adversus jus naturale, secus contra jus positivum.

Vasq. 1. 2. D. 101. cap. 5. & 6. & D. 10. & D. 126. cap. 2. Azor &c. consentit primæ in peccatis merè internè consummatis, seu quorum malitia in actu interiore consummatur, & in ipso primariè reperitur, & ex ipso in actum exteriorem derivatur, ejusmodi sunt odium DEI, vel proximi, hæresis, specialis inobedientia, specialis ingratitude scandalum.

Econtrà peccatorum, quorum malitia in opere externo, aut potentia alterius, quàm voluntatis consummatur, malitia secundum Vasq. desumpta ex objecto, & circumstantijs, principaliter est in actu exteriore, & indè secundariò derivatur in voluntatem; ratio autem voluntarij quæ primariò est in voluntate, & secundariò in actu externo, est solum

conditio, & quasi fundamentum totius generis moris, hanc autem partem tuc-  
tur de ignorantia tam facti, quàm Juris,  
sive hoc sit positivum, sive naturale.

Fundamentum hujus sententia  
quoad primam partem desumit Vasq. ex  
speciali peccantis intentione ad malitiam  
internè consummatorum requisita, nam  
in illa adæquatè consummatur malitia  
ejusmodi peccatorum; ergò pro hujus  
specifica diversitate variatur specifica eo-  
rum malitia; sed variatur, quando pec-  
cata fiunt ignoranter, & scienter, sic  
malitia hæresis est contemptus Authori-  
tatis revelantis DEI, quæ non contem-  
nitur, dum adest ignorantia; odium  
DEI, aut proximi, prout est speciale  
peccatum, non fit sine expressâ displi-  
centia DEI, aut proximi; aut expressè  
debet jis malum optari, implicita enim  
displacentia & optatio mali est commu-  
nis omni mortali peccato, cum omne sit  
aversio à DEO: pariter inobedientia spe-  
cialis debet oriri ex intentione explicita  
non parendi, implicitè enim quisque leg-  
gis Violator non vult parere, quin pec-  
cet peccato specialis inobedientia. Pec-  
catum scandali prout speciale est pecca-  
tum contra charitatem, est volitio dire-  
ctè intendens ruinam Spiritualem proxi-  
mi, sed dum fit ignoranter non fit ex in-  
tentione directa: similiter peccatum in-  
gratitudinis prout est speciale peccatum,  
seu oppositum gratitudini est expressus  
contemptus beneficii accepti, qui con-  
temptus non manet, dum est volunta-  
rium indirectum, quale est procedens  
ex ignorantia.

Ex his infert, quod exponere se  
periculo aliquod peccatum ejusmodi in-

ternè consummabilium committendi sit  
peccatum specie distinctum ab eo, cujus  
est periculum committendi, undè cum  
morosa delectationis objectum sit dele-  
ctatio, is, qui cogitat rem turpem cum  
periculo delectationis secutura, peccat  
peccato specie distincto à delectatione  
morosa, cum solum indirectè feratur in  
delectationem.

Quapropter axioma illud: *expli-  
citi, & impliciti est eadem ratio*,  
non habet locum, nisi quando modus  
tentendi explicitus, & implicitus non  
variat malitiam; variat autem in peccatis  
internè consummatis: è contra, quando  
malitia actus interni consummatur in ex-  
terno sive in actu potentia distincta à vo-  
luntate, modus tentendi directus, & in-  
directus non variat malitiam, eò quòd  
malitia interni desumatur ex objecto,  
& circumstantijs actus exterioris, qui  
non variatur sive fiat scienter, sive igno-  
ranter, ut homicidium, furtum, forni-  
catio, &c. In hanc sententiam multum  
propendeo eamque ulterius firmabo infra  
num. 585.

443. Comuniò opinio apud & cum  
Sanchez *lib. 1. Deval. c. 17. num. 15.*  
universum seu omnia peccata, sive exte-  
na, sive interna ex culpabili ignorantia  
commissa esse in eadem specie morali cum  
peccatis scienter commissis, eandem am-  
plexus est Lugo *de Pœnit. D. 16. à num.*  
*187.* fusè refutans Vasquezium, uti et-  
iam Haunold. *lib. 2. Theolog. Scholast.*  
*à num. 362.* & quidem primò quòd in-  
obedientia & scandalum non minùs ex-  
ternè consummatur, quàm injustitia  
nempe in actu contrario præcepto supe-  
rioris, & in actu externo, quo proxi-  
mus

mus ruit Spiritualiter; ergò male Vasq. ponit inobedientiam & scandalum inter peccata internè consummabilia.

Probat deinde Haunold. de omnibus: malitia ex objecto tunc contrahitur, quando lex prohibens negligitur, & flocci penditur, sed quando malitia est volita etiam indirectè tantùm, adhuc negligitur, & flocci penditur lex prohibens sive hæc sit naturalis, sive positiva, sive de peccatis externè, sive internè consummatis, quia tunc lex non impletur, ergò tunc contrahitur malitia objectiva, seu ex objecto, quando malitia ex objecto est volita etiam indirectè tantùm. Hæc ratio non est efficax, nam Vasq. concedit contrahi malitiam, sed non ejusdem speciei.

Probat aliter, & meliùs Sanch. quòd nulla sit differentia inter peccata externè, ac internè consummata quoad malitiam scienter, ac ignoranter contractam, nam specialitas peccatorum internè consummatorum non pendet ex scientia, vel ignorantia sed ex voluntatis intentione etiam secundùm Vasq. si enim quis sciens esse specialia peccata e. g. odium Dei, aut proximi, aut hæresim, &c. eaque committat sine speciali intentione exposita *num. 442. vers. Fundamentum*; sed ex alia intentione, non contrahit specialem eorum malitiam, è contra si quis culpabiliter ignorans eorum malitiam consistere in ea prava intentione, attamen ex illa prava intentione patraret, eorum malitia esset moraliter ejusdem rationis cum scienter commissis. Ergò ignorantia, & scientia non variant speciem.

Ex hac sententia colligitur non esse obligationem in confessione explicandi circumstantiam scientiæ, aut ignorantie culpabilis, etsi enim sit gravius peccatum scienter commissum, quàm sit peccatum ignoranter commissum, majus tamen, & minùs peccatum intrà eandem speciem non est modus mutans speciem. Si tamen peccato scienter commissò sit annexa censura, aut reservatio, eo casu exponi deberet scientia, aut ignorantia, Soarez *to. 4. in 3. p. D. 22. S. 4. n. 14.* addens aliquando esse necessitatem exponendi, nempe ad cognoscendum statum pœnitentis, utrum sit in morali periculo reddendi, seu restituendi, vel non restituendi.

444. P. Dominicus Viva in *Theologica Trutina damnatorum Thes. ad Propost. 2. inter damnatas ab Alexandro VIII. num. 13.* distinguit ignorantiam culpabilem duplicem: unam, quæ removet notitiam directè præceptam, uti præcipitur notitia Fidei Mysteriorum, præceptorum Decalogi, ac notitia eorum, quæ spectant ad munus proprium e. g. Judicis, Confessarij, &c. alteram quæ debet unicè, seu præcisè removeri, ut tollatur impedimentum executionis præcepti, ut si quis culpabiliter ignoret cras esse Jejunium, is non jejunando committit unicum peccatum, quod sufficenter confitetur dicendo, semel violavi jejunium præceptum, idem enim præceptum obligans ad jejunandum obligat etiam ad removendum id, quod impedit jejunium, impedit autem negligentia inquirendi de die jejunij. Econtrà si quis negligit inquirere notitiam illorum, quorum cognitio



gnitio directe præcipitur, committit peccatum duplex, unum contra præceptum ignoratum culpabiliter, alterum speciale contra virtutem Studiositatis, referturque pro hac sententia Filiuc. *tr.* 21. c. 10. num. 365. Quapropter Confessarius invalidè absolvens ob ignorantiam culpabilem eorum, quæ scire tenetur præter absolutionem invalidè culpabiliter datam, debet etiam expiare culpabilem negligentiam in addiscendo ea, quæ scire tenetur, hæc enim notitia directe præcipitur, ita Viva.

445. Resp. ad quæstionem 2. etsi probabiles sint sententiæ Vasq. & Sanch. & Dominici Viva mihi tamen est probabilius hæresim non incurri cum ignorantia solùm crassa, sed etiam affectata idque sic probavi in *tr. de fide n.* 451. hæresis formalis est voluntarius error, & pertinax hominis Christiani fidei ex parte contrarius (si ex toto delectatur fides, dicitur Apostasia, quæ licet sit gravior hæresi non tamen differt specie morali nisi fidem totam negans deficiat ad Judæismum, aut Ethnicismum, seu Paganismum) sed cum ignorantia etiam affectata stare non potest præfatus error voluntarius, ac pertinax, deficit enim pertinacia, nam habet affectum ex parte voluntatis universalem credendi omnia sibi per Ecclesiam, aliamve infallibilem Regulam sufficienter proposita & revelata, ex parte verò intellectus judicium, quo indubitanter judicat credenda esse omnia, quæ Ecclesia proponit, sed cum ignorantia culpabili etiam affectata, vi cuius ignoro, voloque ignorare meum assensum esse errorem contra fidem, seu contrariari veritati ut revelatæ stat ex par-

te voluntatis dictus universalis affectu credendi & ex parte intellectus judicium indubitanter affirmans esse credenda omnia, quæ Ecclesia sufficienter proponit, sive nihil admittit in intellectu repugnans cum objecto formali fidei; quædiu autem non rejicitur objectum formale fidei credendi, potest fides elici, à pertinaci autem ut tali, seu in sensu composito pertinaciæ fides non potest elici, pertinacia enim juxta Soarez *de fide D.* 16. S. 4. Vasq. 1. 2. D. 126. n. 9, post Aug. *lib. 4. de Bapt. c.* 16. est efficax, ac deliberata voluntas dissentienti alicui veritati revelatæ ut tali, sufficienter propositæ per Regulam Generalem fidei agnitam ut infallibilem, ejusmodi Regula Generalis est revelatio publica seu proposita ab Ecclesie Romana: hæc efficax voluntas non potest stare cum ignorantia etiam affectata, si enim sciret judicium suum discordare cum doctrina Ecclesie, quam pio affectu credendi in omnibus vult amplecti, id deponeret, quem errorem ne cogatur deponere, ideo affectat ignorare, paratus credere, si sciret.

Distinctio Dominici Vivæ inter ignorantiam culpabilem Decalogi, ac spectantium ad munus proprium, ac inter ignorantiam reliquorum præceptorum non placet quia munus cujusvis Christiani est non minus scire illa, quæ servare debet Christianus, quam sit munus Confessarij, Judicis, &c. addiscere pertinentia ad implendum munus Confessarij, ergo si ignorantia culpabilis præceptorum, quæ scire debet Christianus ultra præcepta Decalogi, non est speciale peccatum, etiam non erit speciale peccatum igno-

ignorantia culpabilis spectantium ad officium Confessarij, Judicis &c. Servanda proinde est distinctio Ignorantiæ culpabilis in practicam, ac speculativam declaratam num. 395.

Ex DD. universum sustinentibus peccata ex ignorantia mortali commissa non differunt specie à scienter commissis Lugo de Pœnit. D. 16. num. 193. Concedens, quod est hæresis commissa scienter non sit specie diversa ab hæresi ex ignorantia culpabili, negat tamen, quod habitum fidei infusæ tollat hæresis ex ignorantia, sed duntaxat hæresis ex Scientia: Disparitatem dat quod ignoranter discredens habeat potentiam debito modo credendi, secus scienter discredens. Contrà est, quod ex hoc ipso deducatur, dissensum commissum ex ignorantia culpabili etiam affectata non esse propriè hæresim, atque adeò specie morali differre à vera hæresi seu à dissensu scienter negante articulum fidei sufficienter propositum ab Ecclesia.

446. Qu. 3. An sit specifica differentia inter peccata scienter commissa à peccatis commissis ex ignorantia affectata. Affirmat Pal. nu. 2. juncto nu. 3. in fine distinguit Sanch. lib. 1. Decal. c. 17. nu. 5. affirmans si quis affectet ignorantiam ad liberius peccandum, ita ut subsit periculum alia peccata committendi, propter hoc periculum ignorans affectatè sit reus peccati specie diversi v. g. Cajus vult

peccare cum scæmina, cum qua ut, vel liberius peccet, vel ut culpam alleviet, affectat ignorare ejus statum, si exponitur periculo committendi adulterium, aut incestum, aut Sacrilegium, tot peccata committit, quot committendi periculo se exponit, si verò abest periculum, ut si scit carere aliâ qualitate, quàm Conjugij, hanc tamen affectat nescire, ut liberius peccet, contrahit solam malitiam adulterij non minùs, quàm si sciret conjugium ejus & ideò Circumstantia talis Ignorantiæ affectatæ non est de necessitate confitenda. Hæc distinctio non displicet,

Pro complémento de peccatis ex ignorantia culpabili nota, ut opus procedens contra Legem ex ignorantia vincibili imputetur, necesse est quod homo tunc, quando neglexit addiscere legem advertit se exponere periculo, labendi in prohibita. Secundo, ut opus procedens contra Legem ex vincibili ignorantia imputetur ad novum peccatum formale, non sufficit, quod illud primum peccatum negligentia in quarendo notitia nunquam fuerit retractatum per pœnitentiã sed requiritur, quod prima illa ignorantia hinc, & nunc influat in opus, quod efficitur proinde debet virtualiter continuari seu perseverare in suo aliquo effectu, sicut ut intentio præterita consecrandi valeat, debet virtualiter continuari in aliquo effectu suo.



DIS-